GUENTHER
DE EA, QUAE INTER TIMAEUM ET
LYCOPHRONEM INTERCEDIT,
RATIONE.

De ea, quae inter Timaeum et Lycophronem intercedit, ratione.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Lipsiensis rite impetrandos

scripsit

Paulus Guenther.
Nossenensis.

Lipsiae.
typis Max. Hoffmanni.
MDCCCLXXXIX.

Curtio Wachsmuthio

sacrum.

Lycophronis Alexandrae, carmini illi et fabularum remotissimarum farragine et ampullis verborum a trito sermonis usu alienissimorum insigni et summa cum arte atque doctrina elaborato, si quis studium et operam impertire voluerit, viam primo obtutu variis difficultatibus obstructam munitiorem fieri intelleget. Ut enim non commemorem iam apud veteres carmen illud cura et diligentia doctissimorum grammaticorum, inter quos non ultimo loco est habendus Theon[1]), Augusti temporum aequalis, excussum perpetuoque commentario instructum esse, ut mittam aliorum hominum doctorum interpretationes et annotationes, quae ubique in exeuntis Graecitatis compendiis lexicis glossematis sub incerti auctoris nomine vagantur[2]), multo maiorem fructum praebent scholia illa vetera[3]) ex Alexandrae praestantissimo codice Marciano n. 476 saecl. XI. petita et vasta illa scholiorum congeries a Tzetza conflata[4]), quorum auxilio, quamvis saepenumero nugas et pueriles ineptias redoleant, destituti interdum in interpretando hoc carmine incerti haereremus.

Sed quantumcunque illi viri de interpretatione Alexandrae Lycophroneae meruisse putandi sunt, de fontibus universi poëmatis, e quibus ingens illa fabularum mythorumque notitia fluxisset, ne illi quidem ullam sententiam ferre ausi sunt. Quamquam enim in scholiis nostris multi eique gravissimi auctores occurrunt, tamen, si accuratius inquisiveris, difficillimum esse fateberis ex prolixo illo auctorum

---

[1]) De quo conferas M. Schmidtium in Zeitschrift f. d. Altertumswissensch. 1853. p. 523—26. O. Giesium in libello, qui inscribitur: De Theone grammatico eiusque reliquiis, 1867. pag. 50 sqq. Schneiderum: Callimach. II, pag. 36 sq.

[2]) Quotquot in eis exstant loci ad carmem nostrum pertinentes collecti sunt a Scheerio edit. suae pag. XVIII—XXXII.

[3]) Annexa invenies editioni Alexandrae a Kinkelio 1880 factae.

[4]) Ad manus est editio M. Chr. Gttfr. Muelleri: *Ἰσαακίου καὶ Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου σχόλια εἰς Λυκόφρονα,* Lipsiae 1811. in lucem prolata.

numero communem omnium fabularum fontem indagare. Et num mirum est fontes earum fabularum in obscuro latere, quarum ipsa notitia a nullo saepe alio nisi a Lycophrone nobis affertur? Et cum iam sua aetate poëtam ex reconditioribus fontibus sua sumpsisse verisimillimum sit, quomodo fieri potest, ut nos omnium paene subsidiorum expertes in solvenda ea quaestione aliquid proficiamus? Quae cum ita sint, quamvis, ne singulae narrationis fontem recludamus, natura et indole carminis impediamur, tamen non omnem spem abiciendam esse censeo quadam ex parte ‚latebris Lycophronis atri' (Stat. silv. V, 3. 157) quidquam lucis afferendi. Si enim totum carmen obiter perlegerimus et fabularum illarum magnam farraginem oculis perlustraverimus, in eis potissimum animum fixum esse facile tibi persuadebis, quae de erroribus et fatis Graecorum Troia revertentium variisque casibus ad Italiae oram appulsorum fictae ad illustrandas origines urbium in Italia inferiore conditarum vel maximi sunt momenti (vv. 591—1280). Quicunque igitur in explicandis eis rebus studium collocabant, in eam quaestionem expediendam incubuerunt, cui fonti illae fabulae attribuendae essent, et aut omnes aut certe maiorem earum partem e Timaeo, historico illo Tauromenitano, sumptas esse suspicati sunt viri doctissimi, inter quos hoc loco satis habeo commemorasse H. Klausenium in eo libro, qui inscribitur: Aeneas und die Penaten, 1840. II, p. 578 sqq. et K. Muellenhoffium in libro, cui titulus est: Deutsche Altertumskunde, 1870. I, p. 426 sqq. Quam rem cum praeter ceteros ab eis, quos modo laudavimus, aut parum accurate aut minus recte disputatam esse videam, acta me acturum esse non puto, si denuo ad retractandam illam quaestiunculam transiero et in eam, quae inter Lycophronem et Timaeum intercedit, rationem, quoad eius fieri potest, inquisivero. Atque quo melius perspicias, quomodo rem in hac disputatione instituendam esse arbitrer: primum quidem pauca praefari licet, num eorum, qui de interpolatione quorundam nostri carminis versuum cogitaverunt, sententiae astipulandum sit, et de temporum rationibus, quibus Alexandra composita esse videatur: deinde, quales

Lycus Rheginus, Timaeus, auctor mirabilium illarum auscultationum, quae Aristotelis nomine circumferuntur, scriptores fuerint, demonstrandum erit: tum ad ipsam Alexandram transgrediemur rationemque inter eam et Timaeum intercedentem explicabimus.

Ac primum quidem nonnulla verba facere iuvat de rebus, quibus adducti viri docti singulos nostri carminis locos in dubitationem vocaverint. Initium autem capiendum erit ex schol. Lycophr. v. 1226.[1]), quo apparet iam antiquitus fuisse, qui versus inde a vv. 1226—80. Lycophroni Alexandrino poëtae derogandos esse opinarentur, quoniam aetate Ptolemaei Philadelphi secundi, Aegypti regis, imperium Romanorum nondum ad tantam potentiam evectum esse crediderunt, ut poëta, aequalis eius regis, ad concelebrandam huius laudem his versibus uti posset:

v. 1229: *γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν λαβόντες.*

Quo argumento nisus Niebuhrius: ‚Kleine Schriften', I. pag. 438 sqq. duos fuisse Lycophrones statuit, alterum, qui aetate Ptolemaei Philadelphi numero septem illorum poëtarum, qui Plias vocabantur, annumeratus eximiam tragici poëtae laudem meruisset, alterum, qui aliquanto post non ante centesimam quadragesimam septimam olympiadem devicto Antiocho, Syriae rege, huius carminis auctor fuisset. Cum deinde iam antea Foxius in mus. Rhen. vol. III (1829.), pag. 465 in hanc opinionem inclinasset, ut versus inde a 1226—80 ab interpolatore quodam profectos esse putaret, Welckerus: Die griechische Tragoedie, III. pag. 1259 sqq. non solum illos, quos commemoravi, versus, sed etiam vv. 1446—50 aliunde huic carmini intrusos esse tam firmis argumentis comprobasse visus est, ut, quicumque post eum de eadem re disseruerunt[2]), sententiae illi Welckerianae aut nova argu-

---

[1]) *Ἐντεῦθεν περὶ Ῥωμαίων λέγει καὶ Λυκόφρονος ἑτέρου νομιστέον εἶναι τὸ ποίημα, οὐ τοῦ γράψαντος τὴν τραγῳδίαν· συνήθης γὰρ ὢν τῷ Φιλαδέλφῳ οὐκ ἂν περὶ Ῥωμαίων διελέγετο.*

[2]) Leop. Schmidtius in mus. Rhen. vol. VI. pag. 135 sqq., K. Fr. Hermannus eod. loc. pag. 610., qui allatis quibusdam explicationibus Aristophanis Byzantii ad carmen nostrum pertinentibus de altero inferioris aetatis Lycophrone huius carminis poëta cogitari minime posse dilucide demonstravit, Scheerius, qui in editione sua Lycophronis illos versus

menta suggerere studuerint aut omnino sese applicaverint. Nuper autem novam quandam viam ingressus est Wilamowitzius[1]), qui, ut mihi videtur, luculenta ratione non solum versus illos variis virorum doctorum conaminibus tentatos a poëta nostro non abiudicandos, sed etiam ad recte intellegendum totius carminis sensum omnino necessarios esse docuit: quo factum est, ut illa demonstrandi via interpretationi carminis nova lux allata sit. Quapropter cum a Cauero in mus. Rhen. sol. XLI, pag. 387. sqq. et a W. Christio in historia graecarum litterarum ei libro inserta, qui ab J. Muellero editus inscribitur: Handbuch der klassischen Altertumswissensch. 1889., VII. pag. 410 not. 7 vituperatus sit, tamen neuter, quo rem melius expediret, proposuit: ille enim non ita firmis causis sententiae eius adversatus interpolatoris manui rursus illos versus tribuit, hic de explicandi ratione ne verbum quidem facit. Ceterum nuperrime eadem, qua praeierat Wilamowitzius, via progressus est Spiro in Herm. vol. XXIII, pag. 194 sqq.

Quamquam igitur, ut iam leviter perstrinxi, Wilamowitzianae sententiae facere non possum, quin omni ex parte assentiar, tamen recentiore aetate fuerunt viri clarissimi, qui non propterea illos versus, de quibus controversia nata est, e textu carminis removendos esse arbitrati sint, quod nimia istisque temporibus immerita laus rebus Romanis afferri videretur, sed vel alia ex causa, quae memoratu haud indigna videtur esse. Cum enim eis versibus fabula illa de Aeneae in Italiam adventu enarraretur, nonnulli eique gravissimi viri docti[2]) fabulam illam Lycophronis aetate nondum tam vulgatam necdum tam in omnium ore fuisse contenderunt,

---

uncis seclusit, C. Immischius: De glossis lexici Hesychiani Italicis. Stud. Lips. VIII., pag. 281.

[1]) De Lycophronis Alexandra commentatiuncula Ind. Schol. Gryphisw. per. sem. hib. 1883/84 habend. praemissa, quam, quoniam singula eius argumenta repetere supersedeo, velim adeas.

[2]) Hac imprimis causa adducti H. Nissenius in Fleckeis. ann. vol. XCI, pag. 375 sqq. et Cauer primum quidem in dissertatione sua, quae inscribitur: De fabulis graecis ad Romam conditam pertinentibus, 1884. pag. 28. sqq., tum in Fleckeis. ann. supplement. vol. XV., pag. 127 sqq. denuo ad pristinam Welckeri sententiam confugerunt et interpolatione quadam initio alterius a. Chr. saeculi in maiorem Romae urbis gloriam facta hoc carmen turbatum esse putaverunt.

ut a Graeco poëta tantis laudibus efferri potuerit. Sed circumspiciamus, utri sententiae dissentientibus viris doctis maior probabilitas accedere videatur. Quid tandem, si singula de origine illius fabulae testimonia examinaveris, quae diligentissime congesserunt viri doctissimi A. Schwegler: Roem. Geschichte, I.[2] pag. 305 sqq. et L. Preller: Roem. Mythologie, II.[3] pag. 310 sqq., obstat, ne eam fabulam Lycophroni vel ei, ex quo ille hausit, notam fuisse existimemus? Ut enim silentio praetermittam Cephalonem illum Gergithium, de cuius aetate nihil certi constat, nisi quod Dionys. Hal. I, 49, quo loco mentionem eius facit, inter scriptores *ἀρχαίους καὶ λόγου ἀξίους* eum refert, eandem fabulam agnovisse, ne commemorem quae Hellanicus quinti a. Chr. saeculi auctor apud eundem Dionys. I, 72. de eadem fabula memoriae prodidit, quod testimonium parum aptis causis infringere studet Schwegler l. c., nonne Callias rerum ab Agathocle gestarum scriptor, Timaeus, auctor apud Pausan. I., 12. 1, sive ille ex Timaeo sive ex Hieronymo Cardiano hausit, disertis exemplis videntur comprobare fabulam illam Aeneiam de origine urbis Romae circumlatam iam initio tertii a. Chr. saeculi inter Graecorum scriptores divulgatam esse?[1]) Et quid tandem mirum est apud Romanorum auctores bello Punico primo confecto demum

---

[1]) Non ita multo ante bono fortunae casu factum est, ut tempus, quo fabula Aeneia ex Troianorum finibus emigraverit aliasque terras occupaverit, nunc aliqua ex parte accuratius definire possimus. Nummus enim quidam, cui praeter cetera effigies et nomen Aeneae impressa sunt, in Aenea urbe Chalcidices paeninsulae nuper repertus est, qui summa cum verisimilitudine iam mediae sexti a. Chr. saeculi parti assignandus est: unde elucet istis temporibus Aeneae fabulae notitiam in ea regione percrebuisse. De quo conferas imprimis Friedlaenderum in: Monatsberichte der berliner Akademie, 1878. pag. 759 sqq., Robertum in: Archaeol. Zeitung, 1879. pag. 23 sqq., Friedlaenderum in: Zeitschrift f. Numismatik, VII. 1880. pag. 222. Deinde Woerneri potissimum diligentia disquisitum est (Die Sage von den Wanderungen des Aeneas bei Dionysius v. Halikarnass und Vergilius, 1882), quam paulatim illinc notitia eius fabulae ad singulas Graeciae civitates ad mare praecipue sitas permanaverit, porro, praesertim cum variis a Graecia in occidentales regiones deductis coloniis navigatio et commercium maiora caperent incrementa, in Sicilia et in Italia inferiore late patuerit, ita ut non omni careat probabilitate, si iam Thucydidi VI, 2. vel potius ei, quem in usum suum convertit, Antiocho Syracusano (cf. Woelfflinum: Antiochus v. Syrakus und Caelius Antipater, 1872. pag. 10) eandem fabulam innotuisse statuamus. Praterea respiciendus est M. Zoeller in recensione Caueri libellorum facta in: Philol. Anzeiger, 1887. pag. 685 sqq.

prima illius fabulae vestigia apparere, cum ante eam aetatem prorsus nemo inventus sit, qui omnino quidquam litteris mandaret nedum historiae scribendae munus susciperet? Quoniam igitur talium scriptorum testimoniis aliisque ex causis veri fit simillimum illius fabulae notitiam iam multo antequam viri illi docti, quos nominavi, voluerunt, in Italia inferiore atque in ipsa Romae urbis vicina regione viguisse, a Lycophrone quoque libentissime eam arreptam esse quid est, cur miremur, ut, id quod indoli carminis eius maxime accommodatum erat, Aeneam, illustrissimam illam Troiani sanguinis subolem, summis laudibus cumularet? Sed mittamus res mythologicas: vel optime enim rem cessuram esse puto omnemque de interpolatione carminis nostri suspicionem me profligaturum esse spero, si contingat, ut aliunde aliquod subsidium petamus, quo versus illos, de quibus dissentiunt viri docti, a Lycophronis ipsius manu ortos esse non solum ad probabilitatem quandam perduci, sed paene pro certo affirmari possit[1]). Nuperrime enim a duobus viris doctissimis a G. Kaibelio in Herm. vol. XXII., pag. 506 sqq. et a G. Knaackio in Fleckeis. ann. vol. CXXXVII, pag. 145 sqq. accuratius explicatum est, quae rationes inter Lycophronem et Euphorionem poëtas intercesserint et praecipue huius demonstratione ante oculos positum est Euphorionem non solum singula remotiora verba, sed etiam multas fabulas Lycophroni debere atque omnino illum presse huius vestigia secutum esse. Si igitur in rem vel verbum aliquod incideris, quod et apud Lycophronem intra illorum versuum, qui vulgo suspecti habebantur, spatium et apud illum invenitur, nonne res in eo est, ut ab ipso Euphorione illos versus in suo Lycophronis exemplari lectos esse confidenter statuamus?

---

[1]) Nolui ego equidem eo argumento niti, quod quotienscunque alibi sive apud Stephanum Byzantium sive in lexicis unus ex istis de quibus controversia est, versibus affertur, semper Lycophronis ipsius nomen appositum est: quare apparere videtur ne veteres quidem commentatores praeter schol. Lycophr. v. 1226. de interpolatione istorum versuum ullam movisse suspicionem. Cf. ad. v. 1236. Eustath. ad. Odyss. pag. 1769, 13: ad. v. 1237. Steph. Byz. s. v. *Αἰνεία*, qui locus praeterea Theonis grammatici auctoritate fulcitur: ad. v. 1238. eundem Steph. Byz. s. v. *Ἀλμωπία*: ad. v. 1254. Steph. Byz. s. v. *Δαύνιον*: ad. v. 1264. Etym. Gud. p. 429, 28: ad. v. 1273. Eustath. ad. Dionys. Perieg. 692.

Sed vereor, ne mihi quisquam obiciat inter id tempus, quo Alexandram Lycophronis conscriptam esse mox disseremus, et inter eam aetatem, qua Euphorion laude poëtica florebat[1]), tam longum interesse intervallum, ut, praesertim cum bello primo Romanorum cum Carthaginiensibus composito res Romana revera terra marique tanta evasisset, quanta vv. 1226 sqq. celebraretur, huius carminis interpolandi vel optima occasio oblata esset. Ut hoc concedamus, tamen, quominus id accipiamus, ea potissimum causa impedimur, quod Lycophro et Euphorio uterque Chalcidenses erant, ita ut non modo verisimillimum, sed etiam pro explorato haberi necesse sit, cum hic eius carmen ad imitandum sibi proposuisset, Euphorioni id penitus cognitum fuisse. Quae cum ita sint, nonne permirum esset, si ille quaedam ex interpolatis quoque versibus in suum usum convertisset? Nunc vero cum apertis vestigiis demonstrari possit iam Euphorioni illos versus notos fuisse, iacet tota illa de interpolatoris manu suspicio aut certe paene omni caret fundamento. Legimus autem apud Lycophronem v. 1278. haec verba:

Ζωστηρίου τε κλιτύν, ἔνθα παρθένου etc.,

ubi scholiasta et Tzetzes verba *Ζωστηρίου κλιτὺν* montem Apollinis, vel montem, in quo Apollo divinis honoribus excoleretur, significare docent. Idem verbum, quod apud Lycophronem nullo nisi hoc loco reperitur, in Euphor. fragm. 89. Mein. occurrit, ubi haec leguntur:

Οὗτος μὲν Ζωστὴρ Φοίβου πέδον

allata ex loco, qui scriptus invenitur apud Etym. Magn. pag. 414, 20: *Ζωστήρ. θῶραξ, ζώνη· καὶ τόπος τῆς Ἀττικῆς· Εὐφορίων· Οὗτος — πέδον’. καὶ Ζώστριος* (leg. *Ζωστήριος*) *Ἀπόλλων παρὰ Ἀθηναίοις τιμώμενος καὶ Ἥδ’ ἐπαπηδήσασα* (?) *Ζωστηρίῳ Ἀπόλλωνι. Φασὶ γὰρ τὴρ Λητὼ ὠδίνουσαν ἐκεῖσε τὴν ζώνην λῦσαι.* De singulis cf. Meinekium in Anal. Alex. pag. 121 sqq., qui non sine verisimilitudinis specie alterum quoque illum versum fortasse eiusdem Euphorionis esse

---

[1]) Euphorio enim teste Suida natus est *ἐν τῇ ρκζ′ ὀλυμπιάδι, ὅτε καὶ Πύῤῥος ἡττήθη ὑπὸ Ῥωμαίων*, qua aetate Lycophro sine dubio inter doctissimos viros enumeratus confecto hoc carmine ordinandis comicorum poëtarum reliquiis Alexandriae operam dabat. Cf. Meinekium in Anal. Alex. p. 1 sqq.

coniecit. Vides igitur et Lycophronem et Euphorionem in hoc cognomine Apollinis concinere, quod vereor, ut ullo alio loco occurrat,[1]) et pro ea quae inter utrumque intercedebat, consuetudine non ita inani coniectura suspicari licet Euphorionem reconditius illud et a cotidiano sermone remotum vocabulum a Lycophrone mutuatum esse. Fortasse deinde ad stabiliendam hanc opinionem ad alium quendam consensum quamquam coniectura recludendum provocari potest, quo probari videtur iam aetate Euphorionis illos versus suum locum in Alexandra habuisse et de interpolatore suspicionem abiciendam esse. V. enim 1238. Lycophro de adventu Aeneae in Macedoniam locutus pergit:

ἐκ δ'Ἀλμωνίας
πάλιν πλανήτην δέξεται Τυρσηνία etc.

Sic enim communis omnium codicum lectio est. Steph. Byz. autem s. v. *Ἀλμωπία*[2]) haec narrat: *Ἀλμωπία, χώρα τῆς Μακεδονίας, ἣν ᾤκουν Ἄλμωπες. Λυκόφρων· ἐκ δ'Ἀλμωπίας παλιμπλανήτην δέξεται Τυρσηία.* A quo cum omnino in afferendis Lycophronis versibus non omnem fidem abiudicandam esse Scheerius in mus. Rhen. vol. XXXIV., pag. 471 sqq. docuit tum hoc loco vel ea ex causa eius lectionem *Ἀλμωπίας* in textum recipere debemus, quia frustra in Macedonica regione nescio quam *Ἀλμωνίαν* te quaesiturum esse duco. Sed apud eundem Steph. Byz. s. v. *Ἄλπωνος* haec verba inveniuntur: *Ἄλπωνος, πόλις καὶ ὄρος ἐν Μακεδονίᾳ, ὡς Εὐφορίων·*[3]) *ὁ πολίτης Ἀλπώνιος, ἡ χώρα καὶ ἡ γυνὴ Ἀλπωνία· τινὲς δὲ Θετταλίας αὐτήν φασιν. ἔστι καὶ ἄλλη Λοκρῶν τῶν Ἐπικνημιδίων, ὡς Ἑλλάνικος ἐν πρώτῃ Δευκαλιωνείας.* Sed quis tandem praeterea auctor est oppidi vel montis *Ἀλπώνου* in Macedonia siti? Nemo ut videtur nisi Euphorion. At vitium inesse in illa annotatione Steph. Byz. coniecerim, quem hoc loco solito neglegentius egisse vel inde efficitur, quod verba *Ἀλπηνοὶ* et *Ἄλπωνος* diversa esse iudicat. Inspicias quae hac de re disseruit

---

[1]) Praeter Hesych. s. v. *Ζωστήρ* et Bekker. Anecd. pag. 261, 30. (Paus. IX, 17,3. *Ζωστηρίαν* Minervam commemorat).

[2]) De Almopia cf. Ptolem. III, 13. 23. et quae adnotavit ad hunc locum Muellerus pag. 506.

[3]) Euphor. fragm. 115. Mein.

Bursianus: Geographie von Griechenland, I. pag. 188. not. 4. Quae cum ita sint, verba *πόλις καὶ ὄρος ἐν Μακεδονίᾳ, ὡς Εὐφορίων* falso loco intrusa esse non improbabili coniectura assecutus sim, ita quidem, ut non de obscuro et ceteroqui plane ignoto oppido Alpono in Macedonia sito Euphorionem verba fecisse, sed potius Lycophronis vestigiis ingredientem illius Macedoniae regionis, quae ab hoc *Ἀλμωπία* nominabatur, mentionem iniecisse statuam. Sic enim bene quadrant verba, quae falso apud Steph. Byz. s. v. *Ἄλπωνος* legimus: *πόλις καὶ ὄρος ἐν Μακεδονίᾳ.*[1])

Quoniam tali modo, quantum potuimus, argumentis confirmare studuimus vv. 1226—80. Alexandrae Lycophronis aetate Euphorionis carmini iam insertos fuisse et propterea ipsius Lycophronis esse, iam novam quaestiunculam instituamus de aetate, cui hoc carmen tribuendum sit: quamquam eis, quas Wilamowitzius l. c. pag. 4. 10. protulit, causis summo cum ingenii acumine enucleatis melius quicquam addi posse non credo. Docuit enim vir ille doctissimus carmen nostrum utique compositum esse, antequam Lycophro a rege Ptolemaeo Philadelpho Alexandriam arcessitus in digerendis comicorum poëtarum reliquiis occupatus esset: quo concesso Alexandram ante annum a. Chr. ducentesimum octogesimum quintum, quo ille patri in regno successit, publice propositam esse apparet. Angustioribus autem finibus tempus illud, intra quod carmen in vulgus prodiit, propterea circumscribi potest, quod vv. 801 sqq. huius poëmatis Herculem, Alexandri Magni progeniem, a Polysperchonte duce occisum esse demonstratur. Quam caedem cum anno trecentesimo nono perpetratam esse constet, efficitur, ut Alexandram intra annos 309. et 285. elaboratam esse sumamus. Sed nescio an una potissimum re adducti paulo accuratius temporum rationes nostri carminis definire possimus. Versibus einim inde a v. 968:

---

[1]) Cui autem sententiarum nexui Almopia regio ab Euphorione intexta sit, ei facile persuadere poteris, qui reditus et fata virorum fortium Troia decedentium eum Lycophronis exemplar secutum carminibus celebrasse non ignorat: cf. Knaakium l. c. pag. 148. sqq. Quocirca a veritate non multum nos aberraturos esse credo, si Aeneae quoque reditum eiusque adventum in Macedonium ab illo commemoratum esse suspicati erimus.

Ἐγέστα τλῆμον, σοὶ δὲ δαιμόνων φραδαῖς
πένθος μέγιστον καὶ δι' αἰῶνος πάτρας
ἔσται πυρὸς ῥιπαῖσιν ᾐθαλωμένης.
μόνη δὲ πύργων δυστυχεῖς κατασκαφὰς
νήπαυστον αἰάζουσα καὶ γοωμένη
δαρὸν στενάξεις· πᾶς δέ λυγαίαν λεὼς
ἐσθῆτα προστρόπαιον ἐγχλαινούμενος
αὐχμῷ πινώδης λυπρὸν ἀμπρεύσει βίον.
κρατὸς δ' ἄκουρος νῶτα καλλυνεῖ φόβη
μνήμην παλαιῶν τημελοῦσ' ὀδυρμάτων

ut paulo subsistamus diutiusque commoremur, admonemur. Quamquam scholiasta, paraphrasi, Tzetza ad h. l. ea verba ad expugnatam Troiam referenda esse edocemur, neque, si obitur eos versus perlegeris, aliam explicationem praestare tibi persuadebis, tamen, si tecum reputaveris, quibus causis adducta Cassandra Segestae urbis praecipue mentione facta omnes lamentationes ululatusque repetierit, quae non nisi de Troia patria capta edere solebat, alium reconditiorem sensum his versibus subesse mecum statues. Nam e Diod. XX, 71. Agathoclem tyrannum Syracusarum, cum rebus in Africa male gestis in Siciliam autumno anni 307. redisset, nefanda quadam saevitia in Segestanorum civitatem animadvertisse compertum habemus, ita ut totum oppidum civibus omnis sexus dire mactatis funditus everteretur. Qua de re cf. praeterea Grotium: Geschichte Griechenlands, VI. pag. 697; Holmium: Geschichte Siziliens, II. pag. 258; Meltzerum: Geschichte der Karthager, I. pag. 408. Itaque illam miserrimam Segestanorum conditionem Lycophronis, cum illos versus pangeret, oculis observatam esse e coniectura concluserim, et Alexandram nostram intra annos 306. et 285. confectam esse contenderim.[1])

Quae cum ita esse videantur, iam nihil obstat, quominus rem ipsam aggressi de ea, quae inter Timaeum et Lyco-

[1]) Nuperrime mihi in manus venit altera Susemihlii dissertatio, quae inscribitur: Analectorum Alexandrinorum chronologicorum particula II. in Ind. Schol. Gryphisw. 1888/89, qui vereor, ne multo confidentius (pag. 8. 28.) carmen Lycophroneum anno fere 295. assignaverit, etsi eis, quae de Timaei primis libris a Lycophrone adhibitis (cf. infra pag. 22.) disputavit, prorsus assentior.

phronem intercedit, ratione diligentius disputemus. Sed cum fundamenta huius dissertationis non bene iacta esse arbitrer nisi tota materia digesta perlustrata examinata de alio scriptore pauca verba facere iuvabit, qui, simulatque de Lycophrone et Timaeo quaeritur, semper respiciendus est, de Lyco Rhegino. Quamvis pauca de vitae conditionibus et de scriptis eius memoriae prodita sint, tamen sufficere ea existimo ad indolem naturamque huius scriptoris recte intellegendam. Apud Suidam enim s. v. *Λύκος* legimus: *Λύκος, ὁ καὶ Βουθήρας, Ῥηγῖνος ἱστορικός, πατὴρ Λυκόφρονος τοῦ τραγικοῦ, ἐπὶ τῶν διαδόχων γεγονὼς καὶ ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως. οὗτος ἔγραψεν ἱστορίαν Λιβύης καὶ περὶ Σικελίας,*[1]) et apud eundem s. v. *Λυκόφρων, Χαλκιδεὺς ἀπὸ Εὐβοίας υἱὸς Σωκλέους, θέσει δὲ Λύκου τοῦ Ῥηγίνου.*[2]) Quam eruditionem Suidae non omnibus numeris perfectam esse cum nonnulla fragmenta, quibus eundem Lycum etiam *περὶ Ἀλεξάνδρου*[3]) et *περὶ Θηβῶν*[4]) scripsisse elucet tum verba Agatharchidae geographi in Phot. cod. 250. pag. 454,32 B. annotata demonstrant: *Τῆς ὅλης οἰκουμένης ἐν τέτταρσι κυκλιζομένης μέρεσιν, ἀνατολῆς λέγω, δύσεως, ἄρκτου καὶ μεσημβρίας, τὰ μὲν πρὸς ἑσπέραν ἐξείργασται Λύκος τε καὶ Τίμαιος, τὰ δὲ πρὸς ἀνατολὰς Ἑκαταῖός τε καὶ Βασιλεὺς* eqss., quibus totam occidentalem orbis terrarum partem scientia eum complexum esse apparet. Collecta invenies, quae supersunt, Lyci fragmenta apud Muellerum:[5]) Hist. graec. fragm. II, pag. 370 sqq., IV, pag. 657., quibus addi potest Plin. h. n. XXXI, 2. 27 idemque scriptor in auctorum indicibus libris XII. XIII. XXXI. praepositis. Cum igitur a nonnullis veterum auctoribus Lycophro ab eo in adoptionem ascitus esse diceretur, paene consentaneum videbatur esse etiam in carmine conscribendo ab eo huius libros

---

[1]) Plane eadem verba exhibet Eudoc. viol. pag. 284. Fl.

[2]) Quae verba deinde a Tzetza pag. 263. Muell. sic conflata sunt: *Ὁ Λυκόφρων οὗτος τῷ μὲν γένει ἦν Χαλκιδεύς, υἱὸς Σωκλέους, ἢ Λύκου τοῦ ἱστοριογράφου κατά τινας.*

[3]) Cf. Steph. Byz. s. v. *Σκίδρος* et schol. Aristoph. Pac. 925.

[4]) Cf. Tzetz. ad Lycophr. 1206., schol. Hesiod. Theog. 326., auct. recogn. apud S. Clement. X, 21. pag. 318. Suid. s. v. *Καδμεία νίκη*, ubi adeundus est Unger: Paradox. Theban. I, pag. 383. Plura Lyci Rhegini fragmenta elicere studet M. Schmidtius: Didym. fragm. pag. 24 sq.

[5]) Nonnulla plura dat Nauckius in Philol. vol. V., pag. 689 sq.

inspectos esse. Sed videamus, quanta vis et auctoritas tali demonstrandi rationi tribuenda sit. Sunt enim eius fragmenta, quibus perspectis de indole scriptoris vel optimum iudicium facere licet, haec, quae quidem ad res in Italia atque in contiguis terris gestas spectent:

Fragm. 3. M: de Diomedis reditu a Troiae eversione eiusque adventu in Italiam et de statuis eius a Dauno rege in mare proiectis rursusque in sedem suam redeuntibus.

Fragm. 4: quam mira ratione aves Diomedeae in cognomine insula adversus Graecos et adversus barbaros se gesserint.

Fragm. 5: quo modo Veneti pacem et foedus cum monedulis agris ipsorum imminentibus conficere consueverint.

Fragm. 7: Incolas Sardiniae insulae propterea longaevos esse, quod melle vescantur.

Fragm. 8: diversam esse in superficie et in imo quorundam Siciliae fluviorum et fontium temperiem unumque ex iis in duos alveos scindi, quorum alter salsam, alter potabilem aquam habeat.

Fragm. 9: de nonnullis mirabilibus fontibus, quorum unus acetum, alter oleum, tertius modo aquam modo fumum edere dicatur.

Fragm. 10: de fonte quodam, cuius aqua lucernae ardeant.

Fragm. 11: de permira lacus cuiusdam Siciliensi natura, qui arboribus circumdatus media parte modo frigidam modo calidam aquam evomat.

Fragm. 12: de letifera vi lacus cuiusdam Siciliae, qua aves appropinquantes statim, homines tertio die postquam hauserint, morte consumantur.

Fragm. 13: de loco quodam in Libya sito.

Fragm. 14: quo miro modo pecora in Libya ortum Sirii sideris praesagire soleant.

Quae si vel leviter perstrinxeris, nihil in eis inesse mihi concedes, quod ab historici occidentales regiones describentis munere et officio non remotissimum sit: neque enim legenti quidquam aliud occurrit nisi fabulosae et mirabiles narrationes imprimis de fluminibus, lacubus, fontibus prolatae, quae

sine dubio ab eo in deliciis habitae variis modis repetuntur: rerum gestarum, temporum computationum, aliarum rerum, quae utique ad historiam componendam maximi sunt momenti, omnino non fit mentio. Quae res eo magis admirationem habet, quia, ne quis notitiam illarum, quas describere susceperit, regionum tam in obscuro latuisse dixerit, ut certi quicquam de iis rebus in medium proferri omnino non posset, iam multo ante eum Hippys Rheginus, popularis eius, et, quem supra laudavimus, Antiochus Syracusanus, ut non commemorem Theopompum et Ephorum, de eisdem atque ille terris scripserunt atque, ut ex fragmentis eorum colligere licet, ad summi perfectique historiae scriptoris, ut inter veteres, officium paene aspiraverunt. Neque ei coniecturae locum esse censeo, qua a Timaeo, quem in depingendis eisdem locis summum studium consumpsisse mox videbimus, tantopere Lyci narrationem in suum usum conversam esse sumimus, ut huius memoria auctoritate illius oblitterata sit. Quod quominus putemus cum aliis causis impedimur tum quod tunc immerita summi et diligentissimi historiae scriptoris laude, qua sine dubio iam apud antiquos florebat, Timaeus praestitisset, et, cui rei maximam tribuo auctoritatem, quia Polybius, alioquin iniquissimus Timaei librorum iudex, si esset ita res, eam occasionem avidissime arrepturus fuisset quam gravissimis verbis in eum invehendi crimenque plagiarii ei imponendi. Quae cum ita sint, ad eam sententiam delabimur, ut Lycum illum ne in animo quidem habuisse statuamus perpetuam inde a primordiis usque ad aetatem suam continuo ordine productam historiam posteritati tradere, sed eo scribendi genere contentum fuisse, quod in congerendis et annotandis mirabilibus uniuscuiusque terrae rebus versatum vel doctissimorum hominum animos illis ipsis temporibus occuparet. Quo factum est, ut ei scriptores posterioris aetatis eum adhiberent et excerperent, qui eisdem rebus delectati tota volumina eadem materia impleverunt, ex quibus non ultimum obtinet locum Callimachus poëta in eo libro, qui inscribitur: *Θαυμασίων καὶ παραδόξων τῶν ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συναγωγή* [1]). Porro cum loco illo Agatharchidae, quem

[1]) Cf. O. Schneiderum: Callim. II., fragm. 100 f.

modo attulimus, nomen Lyci Hecataeo opponatur et ab Agatharchida, quippe qui ipse geographi partes susceperit, ei tantum recenseri videantur, qui geographicis studiis singulas orbis terrarum regiones perscrutati sint, illum quoque imprimis geographicis rebus occidentalinm terrarum studuisse et ad exornandam narrationem suam fabulosas animosque legentium delectantes res inseruisse coniectando assequi licet. Quibus cognitis si disceptamus, num fuerit ille idoneus auctor, cuius vestigiis Lycophro in carmine suo insistere putandus sit, nescio an ea sententia decedere cogamur. Quamquam enim id minime negandum, immo maxime consentaneum est a Lycophrone Lyci libros cognitos et inspectos esse[1]), tamen artam inter utrumque necessitudinem intercessisse statuere et indole operis Lyci et fragmentis eius neque satis multis neque satis aptis vetamur.

Quo modo quoniam, qualis fuerit Lycus auctor, excussimus, age nunc transeamus ad Timaei eiusque librorum indolem examinandam. Iam cum supra a nobis constitutum sit Alexandram Lycophronis intra annos 306 et 285 compositam esse, eos libros, quibus hunc materiam suam deprompsisse credimus, ea aetate confectos absolutosque et in publicum prolatos esse necesse est. Lycum, cum a nonnullis pater adoptivus Lycophronis nominetur, aetate aliquanto superiorem hoc fuisse nemo non concedet, ita ut horum trium virorum aetates sic se excipere verisimillimum sit, ut Lycus primum, secundum Timaeus, Lycophro ultimum obtineat locum. Quamquam de Timaei libris, quo tempore confecti sint, aliter res sese habere videtur. Compertum enim habemus ipsius Timaei verbis apud Polyb. XII, 25^{h} 1[2]) conservatis librum

---

[1]) Gravissima enim, sed difficillima quaestio iam dudum est, cui poëta noster doctrinam illam, ut ita dicam, geographicam debet. Etsi deficientibus certis testimoniis res semper in medio relinquetur, tamen nihil probabilius ea coniectura esse censeo, qua haud exiguam illius scientiae partem Lycophronem a Lyco mutuatum esse perhibent.

[2]) *Ὅτι Τίμαιός φησιν ἐν τῇ τριακοστῇ καὶ τετάρτῃ βύβλῳ· πεντήκοντα συνεχῶς ἔτη διατρίψας Ἀθήνησι ξενιτεύων καὶ πάσης ὁμολογουμένως ἄπειρος ἐγένετο πολεμικῆς χρείας, ἔτι δὲ καὶ τῆς τῶν τόπων θέας.* Fragmenta Timaei collecta sunt in Muelleri: Hist. graec. fragm. I, pag. 193 sqq. IV., pag. 640 sq. novis additamentis adaucta a Stiehlio in Philol. vol. VIII., pag. 613 sqq: digesta et in meliorem ordinem redacta invenies apud Belochium

tricesimum quartum ab eo tum demum incohatum esse, cum quinquaginta annos exsul Athenis in patriam suam redisset: quod exsilium cum aut intra annos 317 et 267, aut intra annos 310 et 260 [1]) duraverit, quarto tertii saeculi decennio opus eius nondum ad finem perductum fuisse necessario efficitur. Sed res paene indigna est, quae serio refutetur. Nam quoniam antea Wilamowitzii paene invictis argumentis comprobatum vidimus Alexandram ante annum 285 elaboratam esse et paulo infra subtilius demonstrabimus Timaei libros a Lycophrone utique adhibitos esse, nonne vel his causis ad eam necessitatem detrudimur, ut iam multo ante singulas eius operis partes divulgatas et Lycophroni notas fuisse sumamus? Accedit, quod, cum iam per se parum probabilitatis habeat grandaevum eum ad historiae scribendae munus accessisse, testimonio insuper Plutarchi de exsil. 14: *Τίμαιος ὁ Ταυρομενίτης (συνέγραψεν) ἐν Ἀθήναις* Athenis eum primum id consilium cepisse confirmatur. Nihil igitur verisimilius quam intra illud quinquagenarium exsilium Athenis ab eo historiam usque ad annum a. Chr. 320 deductam et in vulgus editam esse. Cf. Belochium l. c. pag. 706. Cum deinde aetate valde provectus exsilii tempore exacto in patriam revertisset, operi suo iam diu absoluto quinque vel septem novos libros addidit, quibus vitam resque ab Agathocle tyranno gestas enarravit. Cf. Reussium quoque in Philol. vol. XLV, pag. 277. Quae si recte disputata sunt, quid obstabit, quominus Lycophronem

---

in Fleckeis. ann. vol. CXXIII., pag. 697sqq., cui frustra mihi videtur oblocutus esse H. Kothius in eorund. ann. vol. CXXVII., pag. 809—813. Praeterea autem de vita moribus scriptis eius eruendis bene meriti sunt hi viri docti: Meltzer: ‚Geschichte der Karthager', 1879. pag. 106 sqq. 459 sqq., Clasenius: ‚Untersuchungen über Timäus von Tauromenion', 1883 (de quo libello cf. quae scite disputaverunt J. G. Schneider in: Wochenschrift f. klass. Philol. I., pag. 226—30, Meltzer in: Philol. Anzeiger, XIV., pag. 181—90, Holzapfelius in: Philol. Rundschau, 1884, pag. 889—94.), Beckmannus in programmate quodam, quod inscribitur: Timäus von Tauromenium, 1884, Kothius in Fleckeis. ann. vol. CXXXIII., pag. 93. 94., Belochius eod. loc. pag. 775. 776. Columba in: Revista di filologia, 1887. pag. 353 sqq. Kothius in programmate Vratislaviensi, cui titulus est: Timaeus Tauromenitanus quid historiis suis profecerit, 1887.

[1]) Adeas quaeso Arn. Schaeferum: Abriss der Quellenkunde, I³ pag. 84. Columba l. c. vitae eius rationes accuratius circumscribens ad eam sententiam pervenit, ut non ante annum 340 eum natum neque post annum 317 in exsilium eiectum esse statuat.

si non totum eius opus, at certe quasdam partes manibus trivisse iudicemus, praesertim cum primis solis libris eius ea materia congesta esset, qua optima poëtam Chalcidensem in elucubranda Alexandra uti potuisse mox pluribus demonstrandum erit.[1]) Postremo autem rursum fragmenta eius disceptanda sunt, quibus excussis optima, qualis ille fuerit scriptor, imago exprimi poterit. Neque vero in animo est quaecunque tradita sunt, fragmenta eodem modo, quo Lyci reliquiae tractatae sunt excerpta ante oculos ponere: satis habebo in ea inquirere, quae primis eius operis libris aut ipso alicuius auctoris testimonio addicta aut certe summa cum verisimilitudine addicenda sunt. Ac primum quidem ex antiquissimis temporibus historiam continuo ab eo deductam esse fragmentis eius satis comprobatur. Ergo nihil antiquius habuit quam ut primordia uniuscuiusque gentis vel civitatis et cui quaeque originem deberet, summa cum diligentia perscrutaretur. Cf. quae memoriae prodidit fragm. 6. de Telamonis, Etruriae portus, et Caietae appellatione, fragm. 19. de Lydis in Etruriam advenientibus, fragm. 21. de Romae urbis conditae temporibus, fragm. 23. de Carthaginis primordiis, fragm. 31. de Boeotis in Gymnesiis insulis sedes quaerentibus, fragm. 39. 40. de Massiliae condendae appellatione, fragm. 53. de Bacchiadis Corintho expulsis et in Corcyram insulam migrantibus, fragm. 62. de Troianis ad Sirim fluvium appellentibus urbemque Sirim condentibus.[2]) Sed cum origines ipsae gentium vel urbium ita situ tenebrisque obrutae esse solerent, ut plerumque certi quidquam affirmari vix posset, ad mythicorum temporum fabulas confugit, quas ore incolarum circumlatas audiverat, easque more paene

[1]) Singulas totius operis partes a scriptoribus illius aetatis seorsim in lucem prolatas esse exempli gratia apud Ephorum verisimillimum est. Ille enim, ut e Diod. XVI, 76. 5. et V, 1. elucet, singulo libro exordium praeposuit materiamque omnibus numeris absolutam tribuit nulla alia ut videtur re nisi editionis causa adductus. Ceterum cf. Wilamowitzium. l. c. pag. 11. Eidem sententiae sese applicavit idem quoque, quem supra commemoravimus, Susemihlius l. c. pag. 28, licet ille rursus nimis confidenter Timaei primos libros anno fere trecentesimo compositos et editos esse contenderit.

[2]) Fortasse huc etiam fragm. 2 referendum est, ubi de Cnidiorum Rhodiorumque in Siciliam adventu nostrum uberius disputasse verisimillimum est. Cf. quae disseruit de ea re Muellerus ad h. l. adlato Diod. V, 9.

omnium veterum historiae scriptorum ad amplificandam et exornandam enarrationem operi suo immiscere minime dubitavit. Velut fragm. 4. Daphnidis, fragm. 6—9. (43) Argonautarum expeditionis in occidentales regiones factae, fragm. 10. 11. Herculis, fragm. 13. Diomedis, fragm. 15. Podaliri, fragm. 23. Didonis, fragm. 51. 52. Arethusae mentionem facit. Maximae deinde curae fuerunt ei institutiones ad res divinas pertinentes et omnino quaecunque ad deos colendos in aliquo numero erant. Fragm. 7. nuptias Jasonis et Medeae in Corcyra insula concelebratas esse tradit et sacrificium, quod primum Medea in templo Apollinis fecisset, adhuc ipsius aetate quotannis institui atque aras in illarum nuptiarum memoriam exstructas adhuc superesse: fragm. 14. singularem Dauniarum mulierum habitum describit sine dubio, ut infra (pag. 27.) videbimus, venerationem Cassandrae in Apulia oblatam commemorans: fragm. 20: deos a Romanis Penates vocatos diligentius depingit: fragm. 66. Locrorum virgines binas quotannis Troiam missas esse narrat piaculi causa, quia Aiax Locrensis Cassandrae vim afferre conatus esset: fragm. 99. in honorem Sirenum a Diotimo Atheniensium classi praefecto sacrum et cursum cum facibus institutum esse, quod certamen usque ad eius aetatem permansisset. Neque vero solum pro pio religiosoque erga deos animo institutionum sacrarum primordia et origines indagare suum esse censuit, sed etiam omnino in explicandis locorum appellationibus mirum quantum desudavit. Supersedeo hoc loco omnia exempla repetere, quibus, quanta audacia quantaque interdum temeritate et perversitate ingenii illa derivandi arte, quam vocant etymologicam, noster lusisse iudicandus sit, satis apparet.[1]) Neque silentio praetermittendum est, quod, ubicunque alios rerum scriptores ex Timaeo hausisse aliis ex causis effici potest, tali suspicioni vel maximam nonnunquam affert auctoritatem. Tanta enim erat ille, ut iam attigimus, erga deos pietate et ea, quam Graeci nominant *δεισιδαιμονίᾳ*, ut etiam

---

[1]) Qua re si quis penitus imbui studeat, imprimis Enmanni libelli, qui inscribitur: Untersuchungen ueber die Quellen des Pompejus Trogus fuer die griech. und sicil. Geschichte, 1880. pag. 203 sqq. et Clasenii l. c. pag. 21 not. 2 adeat.

in historia scribenda eidem ipsi opinioni incredibili paene modo indulserit. Id enim a rerum scriptoris officio plane alienum esse existimavit eas causas indagare, ex quibus unaquaeque res originem ducere putanda esset, sed spreta illa ratione ad deorum consilium eorumque quasi praesens auxilium provocare maluit, quorum nutui et potentiae cuncta mortalium fata subiecta essent. Quo factum est, ut in opere suo auspiciis tanquam deorum voluntatem prae se ferentibus summam auctoritatem tribueret, quibus observatis, quam bene res cessissent, annotare raro omisit. Porro eo consilio ad historiam componendam se contulit, ut, quidquid in deorum numen peccatum esset, semper digna aliqua parique poena luendum esse disertis exemplis demonstraret et omnino in rerum natura unamquamque poenam e culpa quadam natam esse contenderet. Cuius sententiae vestigia quamquam in prioribus eius operis libris nondum in tanto numero occurrere videntur, quanto in reliquis posterioris partis fragmentis, tamen iam Bachhofius in Fleckeis. ann. vol. CXIX., pag. 169 sqq. atque Reussius in Philol. vol. XLV., pag. 256 sqq. fragmenta eius 13. 60. 66. ad fulciendam eam sententiam rectissime contulerunt. Postremo autem paulo accuratius circumspiciendum est, quo consilio in componenda historia ille usus esse videatur. Inter omnes enim constat, quam vehementer Polybius rerum scriptor saepenumero in eius descriptionem invectus sit atque ad eam vituperationem et reprehensionem illum pervenisse notum est, ut summi perfectique historici nomen ab eo plane abiudicaret et ignorantiae, erroris, mendacii eum incusaret.[1]) Quod iudicium utrum ille incorrupte fecisse, an ulla nobis ignota causa adductus nimia invidia et acerbitate ingenii eum castigasse censendus sit, non est locus diiudicandi:[2]) hoc autem, qualemcunque ea de re sententiam tuleris, extra dubitationem

---

[1]) Locos illos Polybianos congesserunt Schaefer: Quellenk. I[3], pag. 85 sqq. et Beckmannus l. c. pag. 15 sqq.

[2]) De ea re disputaverunt Sintenis in Philol. vol. II., pag. 291, 292, Clasenius, cuius, quam modo laudavimus, disquisitionis initium in tollendo illo opprobrio versatur, Beckmannus l. c. pag. 17. Copiam mihi non factam esse Geffroyi dissertationis, quae inscribitur: De Polybiano circa Timaeum iudicio, 1848 vehementer doleo.

positum esse credo Tauromenitanum nimia sui confidentia elatum in iudicandis et aestimandis eorum, qui eisdem atque ipse studiis occupati aetate eius superiores erant, meritis interdum a vero aliquanto sese flexisse. Qua perversa opinione factum est, ut Theopompum, Ephorum, Aristotelem, alios gravissimae auctoritatis scriptores nonnunquam minutissimis ex causis[1]) summa cum ira reprehenderet et ne Homero quidem (cf. fragm. 71) parceret, sed ubique suae sententiae tanquam firmissimis testimoniis stabilitae invictam paene auctoritatem imponeret. Quo vitio alios aliorumque sententias insectandi et detrectandi quamvis tantopere abreptus esse videatur, ut narrationi eius rerum gestarum summa semper cautio adhibenda sit, ne varios in errores incidamus, tamen mala illa consuetudine propterea aliquid lucramur, quod, cum tot tantique aetatis eius clarissimorum auctorum libri invidia temporum perierint, fragmenta saltem permulta eorum per illum ad notitiam nostram pervenerunt: neque enim perpetua narratione singulas res gestas solis temporum rationibus adductus illustravit, sed pro doctrina sua ex diversis aliorum operibus collecta uniuscuiusque rei, de qua apud nonnullos controversiam esse intellexit vel ipsum certioribus quibusdam documentis nisum novam et contrariam sententiam promere posse arbitratus est, singulas aliorum opiniones in libros suos recepit.[2]) Quo cavillandi

---

[1]) Cf. exempli gratia fragm. 133.

[2]) Rem re vera ita sese habere exemplis luculentissimis demonstrari potest. E fragm. 2 enim ex Diod. V, 6 petito Timaeum Philisto adversatum esse comperimus, quia hic incolas Siciliae ex Hispania in Siciliam immigrasse contenderat, cum ille indigenas eos esse ostenderet. Quam doctrinam cum a Diodori, hominis levis atque rudis litterarum, ingenio, quippe a quo in compilanda materia sua unum fere eundemque fontem adhibitum esse pro explorato habeatur, alienissimam esse constet, sequitur, ut ex eodem fonte, cui ille cetera, quae de eis regionibus memoriae prodidit, debet, id est, ut infra videbimus, ex Timaeo eam quoque notitiam derivatam esse sumamus. Eadem ratione explicandum est, unde, ut minus certa omittamus, Plin. h. n. III, 13. compertum habeat a Myrsilo Sardiniam a similitudine vestigii Ichnussam appellatam esse, vel unde Tzetz. ad Lycophr. v. 633. certior factus sit a Philtea in tertio Naxiarum rerum libro Gymnesias insulas nominatas esse Baleares etc. Cf. fragm. 34. 35. 36. 39. 54. 57. 62. 67. 70. (*χρώμενος ἀπεχθείᾳ καὶ πικρίᾳ τῶν πέλας, οἵᾳ κέχρηται Τίμαιος κατὰ Ἀριστοτέλους*). 71. 89. 91. 93. 98. (*πρὸς δὲ τὸν Ἡρακλείδην καὶ ἐξ ὀνόματος ποιεῖται τὴν ἀντίῤῥησιν ἐν τῇ τετάρτῃ*) 108. 109. 110. 122. 125. 133. 142. 143.

studio quantopere non nunquam a veritate et a sana ratione diiudicandi aberraverit, iam vidimus: id autem, quod ad cognoscendam Timaei operis totam indolem summi esse momenti existimo, necessario efficitur semperque memoria tenendum erit libris eius non solum ea contineri, quae ex ipsius ingenio profecta sint, sed ea quoque uberioribus verbis exposita esse, quae ab aliis prolata ab eo examinata et correcta sint. Si igitur omnia, quae de Timaeo disseruimus, animo comprehenderimus, quantum ille a Lyco distet, nemo non intelleget: cum enim hic in rebus solis geographicis occidentalium terrarum ac potissimum in rebus mirabilibus describendis acquiesceret, ille non solum universam illarum regionum historiam inde a pristinis temporibus usque ad aetatem suam continuatam posteris tradidit, sed etiam prolixa doctrina sua quaecunque paene ante eum ab aliis de eisdem rebus scripta erant amplexus est et quamquam nimia increpandi ira occaecatus, quod verum esse animo sibi finxerat, summa cum gravitate pronuntiavit.

Restat, ut, quoniam, quales fuerint Lycus et Timaeus scriptores, exposuimus, nunc ad aliam disceptationem transeamus, de qua inter viros doctos diu controversia exorta certum iudicium admitti non posse credo nisi eis, quae modo tractavimus, perspectis et comprobatis. Paradoxographis enim ab A. Westermanno[1]) 1839 editis libellum insertum invenies, qui περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων inscriptus nomine Aristotelis circumfertur. Quam inepte ad eius nomen referatur, inter omnes constat et ea argumenta, quae cum a Niebuhrio: „Roem. Geschichte, I. pag. 18. ed. Jsler. tum a Westermanno in praef. pag. XXV sqq. congesta sunt, hoc loco nolo repetere. Sed a re proposita alienum esse nego, si denuo, quibus ex fontibus narratiunculae hoc libro collectae sumptae esse videantur, accuratiore disquisitione perlustrabimus. Cum enim a compluribus viris doctissimis [2]) summa opera in solvenda ea quaestione consumpta

[1]) Adeas novissimam quoque huius libelli editionem nuperrime in lucem prolatam ab O. Apeltio, cui titulus hic inscriptus est: Aristotelis, quae feruntur, de plantis, de mirabilibus auscultationibus, mechanica, de lineis insecabilibus, ventorum situs et nomina de Melisso, Xenophane, Gorgia, 1888.

[2]) A. Rosio primum quidem in libello, qui inscribitur: De Aristotelis librorum ordine et auctoritate commentatio, 1854 pag. 54 sq.,

sit, tamen rem nondum eo perductam esse duco, ut nova disputatione non opus esse videatur. Rosius enim ll. cc. ex tribus diversis partibus illum libellum conglutinatum esse putat, quarum una (capp. 1—77.) ex Aristoteleis sive Theophrasteis excerptis, secunda ex historicis, ita quidem ut capp. 78—144. 130—136. Timaeo, capp. 137. 115—129. 138. Theopompo assignanda sint, tertia inde a cap. 139. usque ad cap. 151. rursus ex Theophrasto petita sit: capita porro inde a cap. 152. usque ad finem ab indole eius libri remota et pessimis fontibus desumpta nescio qua recentioris librarii cuiusdam negligentia illi collectioni annexa esse. Primus igitur intellexit ille ordinem capitum, qui traditus esset, stare minime posse, sed ita restituendum esse, ut capita 1—114. 130—137. 115—129. 138—151 sese exciperent: capp. autem 51—60. eo, quo leguntur, loco non servanda, sed aliunde intrusa esse idem vir doctissimus ostendit. Multo deinde cautius rem instituisse sibi visus est Schrader l. c., cum, ut, quae de reliquis capitibus a nostra disputatione alienis proposuit, omittam, capp. 79. 113. 114. 119?. 130. Lyco Rhegino, Timaeo capp. 81?. 88. 100?. 102. 105?. 109. imputaret. Non est negandum in recludendis huius libelli fontibus ea sola capita ab eo ad certum quendam scriptorem relata esse, quae certis testimoniis vel firmis coniecturis eis addicenda erant. Sed una in re fateor ad eius me sententiam applicare non potuisse, quod multo quam solet confidentius cap. 130. e Lyco Rhegino haustum esse sibi persuadet nulla alia causa motus nisi quia caput illud, ut supra demonstratum est, cum antecedentibus capp. 113. 114. arta necessitudine coniunctum his verbis orditur: *περὶ δὲ τοῦ πορθμοῦ τῆς Σικελίας καὶ ἄλλοι μὲν πλείους γεγράφασι, καὶ οὗτος δέ φησι συμβαίνειν τερατῶδες.* Putat enim verba illa *καὶ οὗτος δέ φησι* ad eum, qui in praecedentibus capp. 113. 114. sine dubio auctor agnoscendus est, ad eundem Lycum

deinde in Aristot. pseudep. pag. 255. 258. 280. 327 sqq., a Schradero in Fleckeis. ann. vol. XCVII., pag. 217 sqq., a Muellenhoffio in libro, cuius titulus est: Deutsche Altertumskunde, I. pag. 426 sqq., a Gutschmidio in: Literarisches Centrlblatt, 1871 pag. 526 sq., ab Enmanno, cuius librum: Untersuchungen ueber die Quellen des Pompejus Trogus fuer die griech. u. sicil. Geschichte, 1880 pag. 193 sqq. inscriptum iam supra (pag. 17) laudavimus.

referenda esse. Quam parum autem circumspecte iudicaverit, vel inde apparet, quod in eis, quae praecedunt, capitibus ne ulla quidem Lyci Rhegini mentio fit. Immo, si quid video, ad eam, quam iam pridem proposuit Sylburgius coniecturam, redeundum esse censeo, qui cap. 130. post cap. 112. inseri voluit, ut verba καὶ οἶτος δέ φησι aptissime cum eo coniungantur, qui cap. 112. commemoratur, cum Polycrito Mendaeo.[1]) Ut deinde hoc unum addam eis, quae explicavit Schrader, caput 119. non ita dubitanter, ut ille, soli Lyco addixerim, quoniam apud Ael. nat. anim. XVII, 16., qui Lycum ipsum auctorem nominatim affert, eodem quamquam uberiore modo idem monedularum miraculum enarratur: Theopompus auctor reiciendus est, de cuius illius mirabilis rei narratione adeas eundem Ael. l. c. Quod ad sententiam a Muellenhoffio l. c. defensam attinet, vel propterea ille mihi videtur laudandus esse, quod allato Diodori libri quinti initio nonnullas nostrae pseudoaristotelicae collectionis narratiunculas summa cum probabilitatis specie ad Timaei exemplar rettulit et multa cum sagacitate in ea inquisivit, quae a Timaei operis indole remota Lyco tribuenda esse animo informavit. Sed nescio an, etiamsi eius sententiae subscribere in animum induceremus, vir ille doctissimus ipse secum pugnare videretur. Cap. enim 97., quod sententia eius e Timaeo fluxit, pugna Herculis cum Gigantibus facta esse traditur περὶ τὴν ἄκραν τὴν Ἰαπυγίαν, quamquam Timaei fragm. 10. luce clarius apparet illius iudicio apud Cumas eam pugnam commissam esse. Quae cum ita sint, caput illud a Timaeo abiudicandum videtur esse, et quoniam cap. 98. cum antecedente tam arto vinculo coniunctum est, ut verba eius ὑπ' ἐκείνου ἀρθέντα ad eandem personam, ad Herculem, proximo

[1]) De Polycrito Mendaeo cf. Muellerum in: Script. rer. Alex. pag. 129 sqq. Muellenhoffius quoque, qui ceterum ipse cap. 130. Polycriti ex poëmate haustum esse intellexit, in eo mihi videtur versari errore, quod cap. 130 post cap. 114 inserto omnia quattuor capp. 112, 113, 114, 130 narrationi illius Polycriti deberi contendit. Quam parum felici coniectura id statuerit, non est, quod longiore disputatione eruamus. Si enim auctor nostrae mirabilium rerum collectionis re vera omnes illas quattuor narrationes e Polycrito transtulisset, quomodo fieri potuit, ut in primo (112) et extremo capite (130) nomen fontis sui commemoraret, media autem capita (113, 114) ex aliis auctoribus sumpta esse apertis vestigiis demonstraret? (cf. φασίν, λέγουσιν).

capite commemoratam referenda sint, ne illud quidem Timaei esse posse concludendum est. Jam igitur quaestio suboritur, quid tali in re statuendum sit. An omnis omnino spes relinquenda est illam quaestionem ad bonum eventum deducendi? Si naturam et indolem totius huius opusculi, quod medio fere tertio a. Chr. saeculo in luce positum esse viri docti perhibent, contemplati erimus, libentissime concedemus eum, qui in converrendis fabulosis illis narrationibus operam consumpsit, non ita doctrina atque eruditione omnium litterarum instructum fuisse, ut ex variis rerum scriptorum libris summa cum diligentia eum excerpsisse sumere liceret, quae in usum suum convertere in animo haberet: immo multo est verisimilius et hac dissertatione multo magis comprobatum iri spero satis eum habuisse unum eundemque auctorem, quem manibus tereret, perscrutari atque expilare, quoad idonea materia praesto esset. Cum enim inde a cap. 1—35. Aristotelis diversos libros, deinde a cap. 36—77. Theophrastea excerpta, in capp. 137. 115—129. 138. Theopompi narrationem uno paene tenore in usum suum transtulerit, permirum profecto est, si in capp. 78—114. 130—136. tot tantorumque auctorum vestigia — nomino Lycum Rheginum, Timaeum, Theopompum, Polycritum, Callisthenem, annales Phoenicios — illum secutum inveniamus. Vel ea igitur ex causa ad Gutschmidii sententiam redeundum erit, quam multo magis exornavit et confirmavit, quem supra laudavimus, Enmannus l. c. pag. 193 sqq. Quod enim ille coniectando tantum quasi divinaverat, huic, ut manifesto quodam indicio fulciret, bene contigit. Cap. enim 105. de duplici Danuvii fluvii ostio sermo institutus est, cuius alter alveus in Pontum Euxinum, alter in Adriam mare decurrat. Deinde haec verba annectuntur: *σημεῖον δ' οὐ μόνον ἐν τοῖς νῦν καιροῖς ἑωράκαμεν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων μᾶλλον, οἷον τὰ ἐκεῖ ἄπλωτα εἶναι*, quae tantum abest, ut cum antecedentibus verbis apte cohaereant, ut contra omni sano sensu careant minimeque eius rei argumento esse possint, quae argumentis confirmanda erat. Coniecit igitur vir ille doctissimus ea verba a Timaeo adhibita esse, ut, quam perverse scriptores quidam Danuvium in duo brachia dividi statuissent, refutaret, a nostro autem compilatore Ti-

maei et eorum, quos ille impugnaret, sententiam mira quadam socordia conturbatam et distortam esse. Qua explicatione ego quidem video nihil aptius.[1]) Si enim, quo genere narrandi et disputandi Timaeus toto opere suo usus sit, recordamur, eum, qui hanc fabulosarum rerum farraginem conflavit, Tauromenitani praeter ceteros libros adisse non est, quod negemus, qui omnium rerum doctrina atque scientia a superioribus auctoribus in lucem prolata impleti atque referti vel maxime eam materiam suppeditabant, quae a nostro in deliciis habita libenter arripi posset. Quibus perpensis cum nihil nisi suspicio mota sit omnes illas pseudoaristotelicas narratiunculas, quae quidem ad nostram disquisitionem spectent, Timaeo imputandas esse, iam restat, ut sententiam illam validioribus argumentis confirmemus et stabiliamus, quo maiore quam antea fiducia pronuntiari possit. Quam tamen rem multo melius cessuram esse puto, si hoc loco subsistamus et nunc tandem ad eam, quae nobis proposita erat, dissertationem transgrediamur, qua, quae inter Timaeum et Lycophronem ratio intercedat, exponere conabimur: qua re perpetrata maiorem lucem ei quoque quaestioni, quam nunc tractamus, afferri posse persuasum habemus.

Non nova, ut iam diximus, et singulari via procedimus in Lycophronis carmine Timaei vestigia latere contendentes. Quicunque enim ante hanc aetatem sive in primordia rerum Italicarum sive in fabulas de diversis mythicorum temporum personis fictas, de Aenea potissimum eiusque in Italia adventu, inquisiverunt, diu iam eandem sententiam pronuntia-

---

[1]) Ne quis autem difficultatem illius loci tolli posse opinetur, si cum Heynio verba illa *σημεῖον — ἄπλωτα εἶναι* margini ascripta et neglegentia librarii textui intrusa esse coniciat, alia quoque ratione demonstrari posse monendum est Timaei libros hoc capite utique depilatos esse. Nam si Diod. V, 6. 3., quem huius libri initio e Timaeo hausisse Muellenhoffii l. c. pag. 442 sqq. doctrina enucleatum est, cum eis verbis contulerimus, quae fine nostri pseudoaristotelici capitis leguntur, tam miram similitudinem inter utrumque intercedere confitendum erit, ut de communi utriusque fonte suspicio reprimi nullo modo potest. Cf.:

Arist. mir. ausc. 105. f.:
περὶ μὲν οὖν τὰς Κυανέας οὐ λέγεται πῦρ ἀναπέμπειν, περὶ δὲ τὸν πορθμὸν τὸν διαλαμβάνοντα τὴν Σικελίαν, ἐφ᾽ ἑκάτερα κειμένων τῶν

Diod. V. 6, 3:
ὕστερον δὲ τῆς Αἴτνης πλείοσι τόποις ἀναφυσήματα πυρὸς ἀνιείσης, καὶ πολλοῦ κατὰ τὴν χώραν ῥύακος ἐκχυθέν-

verunt,[1]) sed ita tamen pronuntiaverunt, ut ad confirmandam illam opinionem nulla aut non idonea argumenta attulerint aut in opinione illa proferenda parum caute egerint: quo factum est, ut via atque ratione non adhibita nonnulla in dubio relinquerent, nonnulla omnino non attingerent. Quae cum ita sint, ut perspicue intellegatur, qua ratione poëta noster in adhibendo Tauromenitano historico rem instituerit, primum quidem ea fragmenta, quae certis aliorum scriptorum testimoniis Timaeo assignantur, cum eis versibus Lycophroneis, quibus eadem res tractatur, conferemus: deinde optime indicium facere licebit et de eis poëtae nostri locis, qui quasi singularia eius ingenii monumenta apud nullum alium scriptorem exstant, et de aliorum auctorum quibusdam narrationibus, quae, unde originem petivissent, extra dubitationis aleam adhuc nondum positum erat.

Ut ab ea re exordiar, quae luculentissimo mihi exemplo videtur esse, poëta, postquam inde a vv. 1099—1122, 1214—1225.[2]) fata virorum fortium, qui felici fortunae casu in

---

τοῦ πυρὸς ἀναφυσημάτων, καὶ τῆς τε νήσου συνεχῶς καιομένης, καὶ τοῦ περὶ τὴν Αἴτνην ῥεύματος πολλάκις τὴν χώραν ἐπιδεδραμηκότος, συνέβη φθαρῆναι τῆς γῆς ἐπὶ πολὺν τόπον.

Quae cum ita sint, quoniam a fabricatore mirabilium illarum auscultationum intra tantillum spatium complures auctores inspectos et excerptos esse nullo modo verisimile est, res in eo est, ut totum caput e Timaeo fluxisse concludamus.

[1]) Ut omnes, qui aliquando de hac quaestione sententiam tulerunt, singillatim nominare supersedeam, satis habeo laudare L. Prellerum, qui in libro: Roem. Mythologie, II³. pag. 310 not. 3 viros doctos ea de re bene meritos enumerat, quorum agmen claudunt hi: Mommsenus in Herm. vol. XVI, pag. 1 sqq. Woerner l. c., Cauer ll. cc., G. Wissowa in Herm. vol. XXII, pag. 40 sqq.

[2]) Cum enim eo, quo in omnibus codd. illae fabulae exhibentur, modo nexus sententiarum disturbetur, Wilamowitzius l. c. pag. 5 recte mihi ordinem ita restituisse videtur, ut vv. 1099—1122. excipere vv. 1214—1225. contendat: minus recte Scheerius, qui in edit. suae pag. 98. vv. 1214—1225. post v. 1173. inserendos esse arbitratus est. Quomodo autem verba Caueri in mus. Rhen. vol. XLI, pag. 396 intellegenda sint, fateor me non exputare. Dicit enim: Aber dadurch wird ebenso wie durch die von Scheer empfohlene Versetzung der Verse 1214—25. nach 1173 das Uebel nur schlimmer, denn Wilamowitz zerreisst den in sich zusammenhaengenden Abschnitt ueber Agamemnon, Scheer reisst Kassandra u. Hekuba auseinander, so dass letztere ohne jede Beziehung an das unmittelbar Vorangehende angefuegt ist. Vir enim ille doctus, quo modo singulae fabulae annectantur, minime videtur perspexisse. Nam v. 1086 finis imponitur eis fabulis, quae de Graecis domum non reversis, sed ini-

patriam reversi praematura morte consumpti erant, enarravit, venerationem Agamemnonis a Lacedaemoniis oblatam leviter perstringens (vv. 1123—25.) accuratius de honoribus, quibus Cassandra ipsa in Apulia cumulatur, verba facit (vv. 1126—1140). De eadem re quoniam, ut e schol. Lycophr. v. 1138 elucet, Timaeus quoque disseruerat, utriusque verba apponere licet.

Lycophr. 1126 sqq.:

οὐ μὴν ἐμὸν νώνυμον ἀνθρώποις σέβας
ἔσται μαρανθὲν αὖθι ληθαίῳ σκότῳ.
σηκὸν δέ μοι τεύξουσι Δαυνίων ἄκροι
Σάλπης παρ' ὄχθαις, οἵ τε Δάρδανον πόλιν
ναίουσι, λίμνης ἀγχιτέρμονες ποτῶν.

Schol. Lycophr. 1138. ed. Kinkel., quod sic apud Muellerum nondum receptum est: *Ὁ δὲ Τίμαιός φησιν, ὅτι Ἕλληνες, ἐπειδὰν ἀπαντήσωσι*[1]) *ταῖς Δαυνίαις, ὑπεσταλμέναις μὲν ἐσθῆτα φαιάν, ἐζωσμέναις δὲ ταινίαις*

---

quis fatis in alienas terras depulsis a nostro prolatae erant: inde a v. 1087 eorum mentionem facit, qui quamquam in patriam reduces (cf. vv. 1090 sq. *οὐδ' οἱ χρόνῳ μολόντες ἀσπαστῶς δόμους εὐκταῖον ἐκλάμψουσι θυμάτων σέλας*) tamen insidiis Nauplii per maria navigantis et ubique in Graecorum salutem saevientis violenta morte absumpti sunt. Exemplum affert, ut videtur, unum mortem Agamemnonis a Clytaemnestra uxore oppetitam, etsi paulo ante de compluribus sermonem se instituere velle disertis verbis demonstraverat (cf. *οὐδ' οἱ χρόνῳ μολόντες*). Vel ea ex causa sequitur, ut narrationem illam Idomenei et Leuci cum hac Agamemnonia coniungamus, praesertim cum misera illa conditio Idomenei eiusque familiae ex eadem origine repetatur atque clades Agamemnonis (cf. vv. 1216 sq.: *οὐ γὰρ ἥσυχος πορκεὺς δίκωπον σέλμα ναυστολῶν ἐλᾷ*). Qua fabula finita Cassandra, quo melius acerbam Graecorum et beatam suorum sortem opponat, de honoribus Troianis nonnullis post mortem eorum oblatis verba facit, ita quidem ut Agamemnonem, quippe qui ipsius maritus fuerit, eiusque divinam apud Lacedaemonios venerationem omnino non neglegat, verum tamen tribus versibus (1123—1125.) obiter attingat, de suae ipsius, Hecubae, Hectoris, Aeneae cultu et honoribus multo uberiora verba prodat. Si hoc modo fabulae illae sese exceperunt, bene rem instituisse Lycophro censendus neque a Cauero l. c. vituperandus est, quod iusto negligentius fabulam fabulae agglutinaverit.

[1]) Hanc enim coniecturam benignissime mecum communicavit C. Wachsmuthius: apud Kinkelium hic locus lacunose sic exhibetur: *ὁ δὲ Τίμαιός φησιν, ὅτι Ἕλληνες, ἐπειδὰν ἀπατήσωσι . . . . ταῖς Δαυνίαις.* Multo brevius Tzetz. ad Lycophr. 1137 narrationem Timaei expilavit (Tim. fragm. 14): *αἱ δὲ τῶν Δαυνίων γυναῖκες μέλαιναν ἐσθῆτα φοροῦσι καὶ τὰς ὄψεις βάπτονται πυῤῥῷ χρώματι, ὥς φησι Τίμαιος, ταινίαις τε πλατείαις εἰσὶν ὑπεζωσμέναι, ὑποδεδεμέναι τὰ κοῖλα ὑποδήματα καὶ ῥάβδον κατέχουσαι.*

κόραι δὲ παρθένειον ἐκφυγεῖν ζυγὸν
ὅταν θέλωσι, νυμφίους ἀρνούμεναι
τοὺς Ἑκτορείοις ἠγλαϊσμένους κόμαις,
μόρφης ἔχοντας σῖφλον ἢ μῶμαρ γένους,
ἐμόν περιπτύξουσιν ὠλέναις βρέτας,
ἄλκαρ μέγιστον κτώμεναι νυμφευμάτων
Ἐρινύων ἐσθῆτα καὶ ῥέθους βαφάς,
πεπασμέναι θρόνοισι φαρμακτηρίοις.
κείναις ἐγὼ δηναιὸν ἄφθιτος θεὰ
ῥαβδηφόροις γυναιξὶν αὐδηθήσομαι.

πλατείαις, ὑποδεδεμέναις δὲ τὰ κοῖλα τῶν ὑποδημάτων, ἐχούσαις δὲ ἐν ταῖς χερσὶ ῥάβδον, ὑπαληλιμμέναις δὲ τὸ πρόσωπον καθάπερ πυῤῥῷ τινι χρώματι, τῶν Ποινῶν ἔννοιαν λαμβάνουσι τῶν τραγικῶν.

Hoc loco inserendum esse duco id Timaei fragmentum, quod apud Muellerum in incerti loci eius fragmentis positum (fragm. 157.) in hoc conexu sententiarum, quid sibi velit et quo referendum sit, plane intellegitur. Legimus enim apud Pollucem II, 29: *ἐκαλεῖτο δέ τις καὶ Ἑκτόρειος κόμη, περὶ ἧς φησιν Ἀναξίλας·*[1])

τὴν Ἑκτόρειον τὴν ἐφίμερον κόμην.

Τίμαιος δὲ τὴν κουρὰν ταύτην προσεστάλθαι[2]) *μὲν δεῖν περὶ τὸ μέτωπον λέγει, τῷ δὲ τραχήλῳ περικεχύσθαι.* Neque enim a vero me aberraturum esse spero, si haec duo fragmenta ex una eademque Timaei narratione desumpta esse statuam, in qua ille singularem Dauniarum feminarum habitum procul

[1]) De Anaxila comoediarum poëta cf. velim Meinekium: Com. graec. fragm. III, pag. 341 sqq. 355, ubi plura de coma Hectorea allata invenies.

[2]) Refragantibus omnibus codd., qui, quod omni caret sensu hoc loco, *προεστάλθαι* praebent, cum Bekkero *προσεστάλθαι* in textum receperim: quod verbum in eadem significatione usurpatur ab. Aristot. hist. an. IX, 45: *μαλακωτέρα δ' ἡ θρὶξ* (scil. feri bovis) *τῆς τοῦ ἵππου καὶ προσεσταλμένη μᾶλλον.*

dubio, ut ex Lycophronis versibus perspicuum est, in honorem Cassandrae divinis honoribus in iis regionibus affectae descripsit. Priusquam, quae Lycophro in enarranda ea re illi debuerit, fusius explicemus, videamus cetera. Eis enim, qui secuntur, versibus nobilium illarum virginum Locrensium poëta mentionem facit, quae piaculi causa propter nefandum Aiacis cum Cassandra concubitum Troiam mitti solebant. Sunt autem eius verba haec:

v. 1141:

πένθος δὲ πολλαῖς παρθένων τητωμέναις
τεύξω γυναιξὶν αὖθις, αἳ στρατηλάτην
ἀθεσμόλεκτρον, Κύπριδος ληστὴν θεᾶς,
δαρὸν στένυῦσαι, κλῆρον εἰς ἀνάρσιον
στελοῦσι παῖδας ἐστερημένας γάμων.

. . . .

v. 1151.

ὑμεῖς ἐμῶν ἕκατι δυσσεβῶν γάμων
ποινὰς Γυγαίᾳ τίσετ' Ἀγρίσκᾳ θεᾷ
τὸν χιλίωρον τὰς ἀνυμφεύτους χρόνον
πάλου βραβείαις γηροβοσκοῦσαι κόρας.
αἷς ἀκτέριστος ἐν ξένῃ ξέναις τάφος
ψάμμῳ κλύδωνος λυπρὸς ἐκκλυσθήσεται,
ἐπὴν ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας φυτοῖς

Tzetz. ad Lycophr. 1141:

Αἴαντος τοῦ Λοκροῦ περὶ τὰς Γυρέας ναυηγήσαντος καὶ στραφέντος[1]) *ἐν Τρέμοντι, χωρίῳ τῆς Δήλου, οἱ Λοκροὶ μόλις σωθέντες ἦλθον εἰς τὰ οἰκεῖα. φθορὰ δὲ καὶ λοιμὸς μετὰ τρίτον ἔτος ἔσχε τὴν Λοκρίδα διὰ τὴν εἰς Κασσάνδραν ἀθέμιτον μῖξιν Αἴαντος· ἔχρησε δ' ὁ θεὸς ἱλάσκεσθαι Ἀθηνᾶν τὴν ἐν Ἰλίῳ ἐπὶ ἔτη χίλια δύο παρθένους πέμποντας ἐπὶ κλήρῳ καὶ λαχήσει. πεμπομένας δὲ αὐτὰς προϊπαντῶντες οἱ Τρῶες εἰ κατέσχον, ἀνῄρουν καὶ καίοντες ἀκάρποις καὶ ἀγρίοις ξύλοις τὰ ὀστᾶ αὐτῶν, ἀπὸ Τρήρωνος, ὄρους τῆς Τροίας, τὴν σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔῤῥιπτον, καὶ πάλιν οἱ Λοκροὶ ἑτέρας ἔστελλον· εἰ δέ τινες ἐκφύγοιεν ἀνελθοῦσαι λάθρα εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν, ἱέρειαι ἐγένοντο. ἔσαιρον γὰρ αὐτὸ καὶ ἔῤῥαινον, τῇ δὲ θεῷ οὐ προσήρχοντο οὐδὲ*[2]) *τοῦ*

---

[1]) Praetulerim cum **Schneidero**: Callim. II, pag. 126 legere *ταφέντος*: cf. Lycophr. 396—402.

[2]) Quod idem **Schneider** l. c. pag. 127 suo iure textui videtur inseruisse: codd. omnibus traditur *οὔτε*.

Ἥφαιστος εἰς θάλασσαν ἐκβράσῃ σποδὸν
τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης.
ἄλλαι δὲ νύκτωρ ταῖς θανουμέναις ἴσαι
Σιθῶνος εἰς θυγατρὸς ἵξονται γύας,
λαθραῖα κακ κέλευθα παπταλώμεναι,
ἕως ἂν εἰσθρέξωσιν Ἀμφείρας δόμους
λιταῖς Σθένειαν ἵκτιδες γουνούμεναι.
θεᾶς δ' ὀφελτρεύσουσι κοσμοῦσαι πέδον
δρόσῳ τε φοιβάσουσιν, ἀστεργῆ χόλον
ἀστῶν φυγοῦσαι. πᾶς γὰρ Ἰλιεὺς ἀνὴρ
κόρας δοκεύσει, πέτρον ἐν χεροῖν ἔχων
ἢ φάσγανον κελαινὸν ἢ ταυροκτόνον
στέῤῥαν κύβηλιν ἢ Φαλακραῖον κλάδον,
μαιμῶν κορέσσαι χεῖρα διψῶσαν φόνου.
δῆμος δ' ἀνατεὶ τὸν κτανόντ' ἐπαινέσει,
τεθμῷ χαράξας, τοὐπιλώβητον γένος.

ἱεροῦ ἐξήρχοντο, εἰ μὴ νύκτωρ. ἦσαν δὲ κεκαρμέναι, μονοχίτωνες καὶ ἀνυπόδητοι. πρῶται δὲ τῶν Λοκρίδων παρθένων Περίβοια καὶ Κλεοπάτρα ἀφίκοντο. καὶ πρῶτα μὲν τὰς παρθένους, εἶτα βρέφη ἐναύσια μετὰ τῶν τροφῶν αὐτῶν ἔπεμπον οἱ Λοκροί. χιλίων δ' ἐτῶν παρελθόντων μετὰ τὸν Φωκικὸν πόλεμον ἐπαύσαντο τῆς τοιαύτης θυσίας, ὥς φησι Τίμαιος ὁ Σικελός. [1]) *μέμνηται δὲ τῆς ἱστορίας καὶ ὁ Κυρηναῖος Καλλίμαχς.*

Ad rem ipsam cf. Meinekium in: Anal. Alex. pag. 165. atque Hauboldium in dissertatione: ‚De rebus Iliensium', 1888. pag. 30. not. 1.

---

[1]) A schol. Lycophr. 1155. haec tantum verba Timaei nomine citantur: *Τίμαιος ἱστορεῖ, ὅτι αἱ παραγενόμεναι παρθένοι ἐδούλευον ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς, δύο οὖσαι. εἰ δέ τις ἀποθάνοι, ἑτέραν παραγίνεσθαι ἀντ'*

Porro, qui mirus consensus inter hos locos exsistat, tecum reputa. Lycophro enim vv. 633 sqq. narrat:

Οἳ δ'ἀμφικλύστους χοιράδας Γυμνησίας
σισυρνοδῦται καρκίνοι πεπλωκότες
ἄχλαινον ἀμπρεύσουσι νήλιποι βίον,
τριπλαῖς δικώλοις σφενδόναις ὡπλισμένοι.
ὧν αἱ τεκοῦσαι τὴν ἑκηβόλον τέχνην
ἄδορπα παιδεύσουσι νηπίους γονάς.
οὐ γάρ τις αὐτῶν ψίσεται πύρνον γνάθῳ,
πρὶν ἂν κρατήσῃ ναστὸν εὐστόχῳ λίθῳ
ὑπὲρ τράφηκος σῆμα κείμενον σκόπου.

Schol. Lycophr. 633. = Tim. fragm. 31: *Τίμαιος δέ φησιν εἰς ταύτας τὰς νήσους ἐλθεῖν τινας τῶν Βοιωτῶν, ἃς νήσους χοιράδας εἶπε· Φιλτέας δὲ ἐν τρίτῳ Ναξιακῶν Βαλεαρίδας φησὶν αὐτὰς ὕστερον ὀνομασθῆναι· εἰσὶ δὲ οἱ ἐν αὐταῖς κατοικοῦντες ἄριστοι σφενδονῆται· αἱ γὰρ μητέρες αὐτῶν τιθέασιν ἐπὶ ξύλον εἰς ὕψος τὸν ἄρτον καὶ οὐ πρότερον αὐτοῖς διδόασι φαγεῖν πρὶν καταβαλεῖν τὸν ἄρτον.* [1].) Quin etiam multo pressius poëtam nostrum Timaei vestigiis ingressum esse eis, quae apud Tzetz. ad Lycophr. l. c. leguntur,[2]) verbis a Muellenhoffio l. c. pag. 466. summo iure Timaeo vindicatis luculentissime comprobatur. Pergit enim ille: *ἕτεροι δὲ ἤγουν οἱ Βοιωτοὶ οὓς καὶ Καρκίνους λέγει πλεύσαντες εἰς τὰς χοιράδας καὶ πέτρας τὰς Γυμνησίας διάξουσι γυμνὸν βίον, ἀνυπόδετοι, τρεῖς σφενδόνας κατέχοντες, μίαν τῷ*

αὐτῆς, ἐκείνην δὲ οὐ θάπτεσθαι ὑπὸ τῶν Τρώων, ἀλλὰ καίεσθαι ἀγρίοις ξύλοις καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτῆς ῥίπτεσθαι εἰς θάλασσαν. Ceterum huius fabulae originem Timaeo rectissime vindicavit Knaackius quoque in programmate quodam ‚Callimachea' inscripto et 1887 edito, pag. 10 sq.

1) Ad verbum transscripsit haec Tzetz. ad Lycophr. 633.

2) Etenim ne credamus haec verba e Tzetzae ipsius doctrina profecta aut e versibus Lycophroneis ab eo derivata esse Diod. V, 18 f. impedimur, cuius descriptionem Balearium insularum totam e Timaeo depromptam cum Tzetza fere nulla in re non congruere sagacissime demonstravit idem Muellenhoffius l. c.

τραχήλῳ, ἑτέραν περιεζωσμένοι τῷ ὀσφύι καὶ τρίτην τῇ χειρὶ κατέχοντες, ὅπου αἱ μητέρες τὴν σφενδονητικὴν τοῖς νηπίοις παισὶ διδάσκουσιν· οὐ γάρ τις τῶν παιδαρίων τῶν ἐκεῖσε γεύσεται ἄρτου, εἰ μὴ καταλάβῃ αὐτὸν εὐστοχίᾳ σφενδονητικῇ, ἀντὶ σκόπου κείμενον ὑπὲρ σανίδος.

Iam transeamus ad vv. 732.—37., quibus a Diotimo, classi Atheniensium praefecto, in honorem Parthenopae Sireni oraculo iubente certamen cum facibus Neapoli institutum esse traditur. Sunt autem hi:

πρώτῃ δὲ καί ποτ' αὖθι συγγόνων θεᾷ
κραίνων ἁπάσης Μόψοπος ναυαρχίας
πλωτῆρσι λαμπαδοῦχον ἐντυνεῖ δρόμον,
χρησμοῖς πιθήσας· ὅν ποτ' αὐξήσει λεὼς
Νεαπολιτῶν, οἳ παρ' ἄκλυστον σκέπας
ὅρμων Μισηνοῦ στύφλα νάσσονται κλίτη.

Quibus schol. Lycophr. 732. subiungit haec[1]): *φησὶ Τίμαιος* (fragm. 99.) *Διότιμον τὸν Ἀθηναίων ναύαρχον παραγενόμενον ἐς Νεάπολιν κατὰ χρησμὸν θῦσαι τῇ Παρθενόπῃ καὶ δρόμον ποιῆσαι λαμπάδων, διὸ καὶ νῦν τὸν τῆς λαμπάδος ἀγῶνα γίνεσθαι παρὰ τοῖς Νεαπολίταις.* [2])

Postremo sufficiat Lycophronis vv. 1050.—55. attulisse, quibus de vaticinio, quod Podalirius in Apulia edit, et de

---

[1]) Paene eadem verba apud Tzetz. ad Lycophr. 732 exstant, nisi quod ille procul dubio uberius Timaei narrationem reddens addit: *Διότιμος δὲ εἰς Νεάπολιν ἦλθεν, ὅτε στρατηγὸς ὢν τῶν Ἀθηναίων ἐπολέμει τοῖς Σικελοῖς.* Quae verba quamquam nullius alius scriptoris testimonio confirmata quanti sint momenti ad intellegendas eas, quae ante expeditionem Atheniensium in Siciliam factam inter Siculos et Athenienses intercedebant, conditiones docet Holmius: ‚Geschichte Siciliens im Altertum', 1874 II, pag. 404.

[2]) Eiusdem narrationis testem habemus Strab. V. pag. 246 M. quoque, cuius sunt haec verba: *ὅπου* (scil. Neapoli) *δείκνυται μνῆμα τῶν Σειρήνων μιᾶς Παρθενόπης, καὶ ἀγὼν συντελεῖται γυμνικὸς κατὰ μαντείαν* Multa enim Timaei vestigia apud Strabonem in quinto et sexto libro latere dissertatione Hunrathii, quae a nobis saepenumero commemoranda inscripta est: Ueber die Quellen Strabos im 6. Buche, 1879. compertum

medela, quam ille et hominibus et pecori adhibere solet, sermo factus est:

δοραῖς δὲ μήλων τύμβον ἐγκοιμωμένοις
χρήσει καθ'ὕπνον πᾶσι ναμερτῆ φάτιν,
νόσων δ'ἀκεστὴς Δαυνίοις κληθήσεται,
ὅταν κατικμαίνοντες Ἀλθαίνου ῥοαῖς
ἀρωγὸν αὐδήσωσιν Ἠπίου γόνον
αὐτοῖσι καὶ ποίμναισι πρευμενῆ μολεῖν.

Eisdem fere verbis eadem fabula a Timaeo fragm. 15 = Tzetz. ad Lycophr. 1050. explicata erat: *εἰώθασιν οἱ Δαύνιοι ἤτοι οἱ Καλαβροὶ ἐν μηλωταῖς καθεύδειν ἐν τῷ τάφῳ τοῦ Ποδαλειρίου καὶ καθ' ὕπνους λαμβάνειν χρησμοὺς ἐξ αὐτοῦ· εἰώθασι δὲ καὶ ἐν τῷ πλησίον ποταμῷ Ἀλθαίνῳ ἀπολούεσθαι καὶ αὐτοὶ καὶ τὰ θρέμματα αὐτῶν καὶ ἐπικαλεῖσθαι τὸν Ποδαλείριον καὶ ἰᾶσθαι, ὅθεν καὶ ὁ ποταμὸς ἔχει τὴν ὀνομασίαν, ὡς ἀλθαίνων, κατὰ Τίμαιον, καὶ θεραπεύων ἁπάντων τῶν λουομένων ζῴων τὰ τραύματα, ὥς κατὰ Μεθόδιον τὸν ἰατρὸν Ἀλφειός, τῆς Ἀρκαδίας ποταμός, ἰᾶται τοὺς ἀλφούς, καὶ κατὰ Βιγρίδιον δὲ ποδαγριῶντας ὁ Κύδνος.*[1])

Qua cum narratione aliud Timaei fragmentum artissime cohaeret, quod Muellerianae collectioni nondum insertum apud Etym. Magn. pag. 63,4. scriptum legimus: *Ἄλθαινος, ποταμὸς Ἰταλίας, ὃν φησιν ὀνομασθῆναι Τίμαιος διὰ τὸ ἀλθαίνειν τὰ τραύματα τῶν ἐν αὐτῷ λουομένων.*

Quibus exemplis, quae ad illustrandam similitudinem inter Timaeum et Lycophronem intercedentem apposui, non solum neminem non persuasum habere puto Timaei libros a

---

habemus, etsi illum multo plus profecturum fuisse iudico, si Lycophronem et quae inter eum et Timaeum interesset ratio, melius perspexisset.

[1]) Eadem Timaei nomine suppresso apud schol. Lycophr. 1050 leguntur. Dissimilem et alio ex fonte, ut videtur, haustam narratiunculam invenies apud Strab. VI, pag. 284 M.: *δείκνυται δὲ τῆς Δαυνίας περὶ λόφον, ᾧ ὄνομα Δρίον, ἡρῷα· τὸ μὲν Κάλχαντος ἐπ' ἄκρᾳ τῇ κορυφῇ· ἐναγίζουσι δ'αὐτῷ μέλανα κριὸν οἱ μαντευόμενοι ἐγκοιμώμενοι ἐπὶ τῷ δέρματι· τὸ δὲ Ποδαλειρίου κάτω πρὸς τῇ ῥίζῃ, διέχον τῆς θαλάσσης ὅσον σταδίους ἑκατόν· ῥεῖ δ'ἐξ αὐτοῦ ποτάμιον πάνακες πρὸς τὰς τῶν θρεμμάτων νόσους.*

poëta nostro adhibitos et quadam ex parte depilatos esse, sed etiam, quantum hic illi debeat et quanto opere ex illius auctoritate dependeat, ante oculos positum esse spero. Neque enim non contentus in universum in enarranda fabularum turba illum auctorem sequi tam apte ad exemplar eius sese applicabat, ut nunquam ne in minutissimis quidem rebus ab eius latere discederet, sed paene totum enuntiatum eius in suum usum converteret, quin etiam in exprimendis singulis verbis eius generi scribendi sese accommodaret.[1]) Jam cum exemplis illis diversis ex locis poëmatis nostri petitis perspicue appareat, quanti a Chalcidensi illo poëta Timaei historiarum libri aestimati sint, in describendis ceteris fabulis eius carminis partis, quam nos tractaturi sumus, quae unde originem traxerint saepenumero in medio relinquendum est, eum prorsus neglectum esse num putas? Quod cum per se verisimile non sit, tamen, quominus id accipiamus, certis quibusdam indiciis per totam, de qua nos agimus, partem carminis dispersis, quae Tauromenitani vestigia latere clamant, impedimur. Quo duplici fundamento nisi ad singulas fabulas excutiendas transgrediamur, ita quidem, ut ordinem Lycophroneae narrationis secuti unamquamque earum ad originem suam referre conaturi simus.

---

[1]) Cf. v. 636: *τριπλαῖς σφενδόναις ὡπλισμένοι* = Tim. *τρεῖς σφενδόνας κατέχοντες* et quae apud Lycophronem sequuntur, omnia ad verbum translata sunt; v. 733: *κραίνων ἁπάσης Μόψοπος ναυαρχίας* = Tim. *τὸν Ἀθηναίων ναύαρχον*; v. 734: *καὶ λαμπαδοῦχον ἐντυνεῖ δρόμον* = Tim. *καὶ δρόμον ποιῆσαι λαμπάδων*; v. 735: *χρησμοῖς πιθήσας* = Tim. *κατὰ χρησμὸν* (*κατὰ μαντείαν* apud Strab. l. c.); v. 1050: *δοραῖς μήλων* = Tim. *μηλωταῖς*; *ἐγκοιμωμένοις* = Tim. *καθεύδειν* (*ἐγκοιμώμενοι* apud Strab. l. c. procul dubio Timaeo depromptum cf. Scheerium in indice s. v.); v. 1051: *καθ' ὕπνον* = Tim. *καθ' ὕπνους*; v. 1053: *ὅταν κατικμαίνοντες Ἀλθαίνου ῥοαῖς* = Tim. *ἐν τῷ πλησίον ποταμῷ Ἀλθαίνῳ ἀπολούεσθαι*; v. 1054: *ἀρωγὸν αὐδήσωσιν* = Tim. *ἐπικαλεῖσθαι*; v. 1055: *αὐτοῖσι καὶ ποίμναισιν* = Tim. *αὐτοὶ καὶ τὰ θρέμματα*; v. 1133: *Ἑκτορείοις — κόμαις* = Tim. *Ἑκτόρειος κόμη*; v. 1137: *Ἐρινύων ἐσθῆτα* = Tim. *Ποινῶν ... ἐσθῆτα φαιάν*; *ῥέθους βαφάς* — Tim. *ὑπαληλιμμέναι τὸ πρόσωπον*; v. 1140: *ῥαβδηφόροις* = Tim. *ῥάβδον ἔχουσαι*; v. 1143: *ἀθεσμόλεκτρον* = Tim. *διὰ τὴν εἰς Κασσάνδραν ἀθέμιτον μῖξιν*; v. 1153: *χιλίωρον* = Tim. *ἐπὶ ἔτη χίλια*; *ἀνυμφεύτους* = Tim. *δύο παρθένους*; v. 1154: *πάλου βραβείαις* = Tim. *ἐπὶ κλήρῳ καὶ λαχήσει*; v. 1157: *ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας φυτοῖς* = Tim. *καίοντες ἀκάρποις καὶ ἀγρίοις ξύλοις τὰ ὀστᾶ αὐτῶν*; v. 1158: *εἰς θάλασσαν ἐκβράσῃ σποδὸν τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης* = Tim. *ἀπὸ Τρήρωνος, ὄρους τῆς Τροίας, τὴν σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔρριπτον*; v. 1165: *θεᾶς δ' ὀφελτρεύσουσι κοσμοῦσαι πέδον δρόσῳ τε φοιβάσουσι* = Tim. *ἔσαιρον γὰρ αὐτὸ καὶ ἔρραινον*.

Inter fabulas, quae in magna Graecia de viris fortibus a Troiana expeditione domum redeuntibus et variis terra marique casibus agitatis circumferebantur, primum apud nostrum obtinet locum ea, quae de Diomede sociisque eius in Apuliae regionibns narrabatur. Quae fabula ipsa quam late patuerit et quam vario modo exornata sit, mittamus,[1] ad fontem potius, unde manaverit, animum advertamus: neque enim res breviter expedienda est, cum in tanta testimoniorum penuria hoc loco duo auctores Timaeus et Lycus occurrant. Scriptum enim legimus apud Tzetz. ad Lycophron. v. 615. (Tim. fragm. 13. Lyc. fragm. 3.) haec: *Ἁλούσης τῆς Τροίας Διομήδης ἀντὶ βάρους λίθους ἐκ τοῦ τείχους τῆς Τροίας εἰς τὴν ἑαυτοῦ ναῦν ἔβαλεν. παραγενόμενος δὲ εἰς τὸ Ἄργος καὶ μόλις φυγὼν τὸν ἐκ τῆς γαμετῆς αὐτοῦ θάνατον παρεγένετο εἰς Ἰταλίαν, εὑρὼν δὲ τηνικαῦτα τὸν Κολχικὸν δράκοντα λυμαινόμενον τὴν Φαιακίδα ἔκτεινε τὴν τοῦ Γλαύκου χρυσῆν ἀσπίδα κατέχων· ἐνόμισε γὰρ ὁ δράκων τὸ χρυσοῦν εἶναι δέρας τοῦ κριοῦ. τιμηθεὶς δὲ ὁ Διομήδης ἐν τούτῳ σφόδρα ἀνδριάντας κατεσκεύασεν ἑαυτοῦ ἐκ τῶν λίθων τῆς Ἰλίου ὧν ἐνέβαλε τότε εἰς τὴν ναῦν καὶ ἔστησε τούτους κατὰ πᾶν τὸ ἐκεῖ πεδίον· ὕστερον δὲ ἀνελὼν ὁ Δαυνὸς αὐτὸν ἔῤῥιψε καὶ τοὺς ἀνδριάντας εἰς τὴν θάλασσαν. οὗτοι δὲ ἀνεχόμενοι ὑπὸ τῶν κυμάτων πάλιν ἐξήρχοντο πρὸς τὰς βάσεις αὐτῶν. ἱστορεῖ δὲ τοῦτο Τίμαιος ὁ Σικελὸς καὶ Λύκος ἐν τρίτῳ.*[2] Deinde Antigonus Carystius ipsius Lyci nomen laudans cap. 172 haec memoriae prodit: *Περὶ τῶν ζῴων Λύκον μὲν ἐν τῇ Διομηδείᾳ τῇ νήσῳ φησὶν* (Callimachus) *ἱστορεῖν, τοὺς ἐρωδιοὺς ὑπὸ μὲν τῶν Ἑλλήνων, ὅταν παραβάλλῃ τις εἰς τοὺς τόπους, οὐ μόνον ψανομένους ὑπομένειν, ἀλλὰ καὶ προσπετομένους εἰς τοὺς κόλπους ἐνδύνειν καὶ σαίνειν φιλοφρόνως*[3] . . . . . *λέγεσθαι δέ τι τοιοῦτον*

---

[1]) De qua fabula si quis copiosius imbui studeat, adeat Beckmannum in edit. suae Aristot. mir. auscult. Gottingae 1786. in vulgus editae pag. 157. et Heynium ad Verg. Aen. XI. exc. I. (III., pag. 699 sqq.).

[2]) Paucis immutatis cum hac enarratione congruit schol. Lycophr. 615, nisi quod ille clade illa Diomedis a Dauno rege facta et miraculo de statuis ab hoc in mare praecipitatis rursusque in sedem suam revertentibus omisso statim post verba *ἀνδριάντα κατεσκεύασε καὶ ἱδρύσατο ἐκ τῶν λίθων τῶν ἐκ τοῦ Ἰλίου* pergit *ἱστορεῖ δὲ τοῦτο Τίμαιος καὶ Λύκος ἐν τρίτῳ.*

[3]) Dolendum est, id quod post Meursium rectissime agnovit O. Keller in ann. gymn. Austr. vol. XXV., pag. 132., alterum illud enuntiati membrum, quod verbis *ὑπὸ μὲν τῶν Ἑλλήνων* responderet,

ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς τῶν τοῦ Διομήδους ἑταίρων εἰς τὴν τῶν ὀρνέων τούτων φύσιν μετασχηματισθέντων. Quibus locis examinatis utrum hoc loco praetulerit, Lycum an Timaeum, difficile erit diiudicatu, quoniam, quae utriusque fuerint partes in depingenda illa fabula, discerni non potest. Cui quaestioni intricatissimae multo maior lux affulgeret, si, quomodo aves illae Diomedeae in barbaros et in Graecos sese gerentes a Timaeo descriptae essent, notum esset. Neque enim multum lucramur ex Aristot. mir. auscult. c. 79., quod supra allatum sub incerti adhuc auctoris nomine vagatur, vel e Strab. VI., pag. 284: *ἐν ᾗ καὶ τὸν Διομήδη μυθεύουσιν ἀφανισθῆναί τινες καὶ τοὺς ἑταίρους ἀπορνιθωθῆναι καὶ δὴ καὶ νῦν διαμένειν ἡμέρους καὶ βίον τινὰ ζῆν ἀνθρώπινον τάξει τε διαίτης καὶ τῇ πρὸς ἀνθρώπους ἡμερότητι τοὺς ἐπιεικεῖς, ἀπὸ δὲ τῶν κακούργων καὶ μιαρῶν φυγῇ,* quem quamquam saepenumero hoc libro Timaei vestigiis ingressum hac in paragrapho nonnulla alio ex fonte arripuisse supra docuimus (cf. pag. 32 not. 1). Quae res utut se habet, non ita valde a recta via me aberraturum

nescio cuius neglegentia perisse. Quid sit supplendum, circumspiciamus. Vulgo — nec non Keller ipse eiusdem sententiae praeco exstitit — subsidium petendum esse perhibent ex Arist. mir. ausc. c. 79., ubi narratur: *Ἐν τῇ Διομηδείᾳ νήσῳ, ᾗ κεῖται ἐν τῷ Ἀδρίᾳ, φασὶν ἱερόν τι εἶναι τοῦ Διομήδους θαυμαστόν τε καὶ ἅγιον, περὶ δὲ τὸ ἱερὸν κύκλῳ περικαθῆσθαι ὄρνιθας μεγάλους τοῖς μεγέθεσι καὶ ῥύγχη ἔχοντας μεγάλα καὶ σκληρά. τούτους λέγουσιν, ἐὰν μὲν Ἕλληνες ἀποβαίνωσιν εἰς τὸν τόπον, ἡσυχίαν ἔχειν, ἐὰν δὲ τῶν βαρβάρων τινὲς τῶν περιοίκων, ἀνίπτασθαι καὶ αἰωρουμένους καταράσσειν αὐτοὺς εἰς τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ τοῖς ῥύγχεσι τιτρώσκοντας ἀποκτείνειν. μυθεύεται δὲ τούτους γενέσθαι ἐκ τῶν ἑταίρων τῶν τοῦ Διομήδους ναυαγησάντων μὲν αὐτῶν περὶ τὴν νῆσον, τοῦ δὲ Διομήδους δολοφονηθέντος ὑπὸ τοῦ Δαυνοῦ* (sic enim scribendum est: cf. Tzetz. ad Lycophr. 615.), *τοῦ τότε βασιλέως τῶν τόπων ἐκείνων γενομένου.* Sed ubi tandem inter hos duos locos vel minutissima intercedit ratio? An tibi ea verba, in quibus rei cardo versatur, Aristotelis *ἐὰν μὲν Ἕλληνες ἀποβαίνωσιν — ἡσυχίαν ἔχειν* et haec Carystii *ὑπὸ μὲν τῶν Ἑλλήνων — σαίνειν φιλοφρόνως* omnino non modo non in comparationem vocanda esse, sed etiam vehementer secum pugnare videntur? Immo, si quid video, sola spes Antigoni locum recte restituendi posita est in Ael. nat. an. I., 1, qui locus et verborum similitudine ad nostrum maxime aspirat: *Καλεῖταί τις Διομήδεια νῆσος καὶ ἐρωδιοὺς ἔχει πολλούς. οὗτοί φασι τοὺς βαρβάρους οὔτε ἀδικοῦσιν οὔτε αὐτοῖς προσίασιν. ἐὰν δὲ Ἕλλην κατάρῃ ξένος, οἱ δὲ θείᾳ τινὶ δωρεᾷ προσίασι πτέρυγας ἁπλώσαντες οἱονεὶ χεῖράς τινας εἰς δεξίωσίν τε καὶ περιπλοκάς. καὶ ἁπτομένων τῶν Ἑλλήνων οὐχ ὑποφεύγουσιν, ἀλλ' ἀτρεμοῦσι καὶ ἀνέχονται, καὶ καθημένων εἰς τοὺς κόλπους καταπέτονται, ὥσπερ οὖν ἐπὶ ξένια κληθέντες. λέγονται οὖν οὗτοι Διομήδους ἑταῖροι εἶναι καὶ σὺν αὐτῷ τῶν ὅπλων τῶν ἐπὶ τὴν Ἴλιον μετεσχηκέναι, εἶτα τὴν προτέραν φύσιν ἐς τὸ τῶν ὀρνίθων μεταβαλόντες εἶδος, ὅμως ἔτι καὶ νῦν διαφυλάττειν τὸ εἶναι Ἕλληνές τε καὶ Φιλέλληνες.*

esse spero ab utroque summam huius fabulae narratam a Timaeo autem, cuius a genere scribendi minime alienum esse constat aliorum sententias infringere et corrigere, minutiores quasdam res, quae quales fuerint nescitur, additas et immutatas esse contendentem et quamvis, ut eis, quae apposui exemplis, apparet, Timaei auctoritas apud poëtam nostrum plurimum valet, tamen hoc loco Lyci libros non adhibitos vel inspectos esse Tzetza l. c. et Antig. Caryst. l. c. testibus praefracte minime negaverim.

Sed quoniam eidem Timaeo, quae de Boeotorum in Gymnesias insulas adventu et de mirabili eorum incolarum ratione educandorum liberorum noster vv. 633—647. memoriae tradit, addicenda esse supra docuimus, statim indagando earum fabularum fonti operam navemus, quae Ulixis nomine in inferioribus Italiae regionibus circumlatae a poëta vv. 648—819. celebrantur.

Paene nulla alia veterum fabula hominum omnis aetatis animos tantopere occupatos et delectatos esse quantopere Ulixea summo iure contendi posse autumo. Quocirca mirum non est, si parva et exigua illa initia eius, quae in carmine illo Homerico occurrunt, insequentibus temporibus maiora ceperunt incrementa atque iam Alexandrinorum aetate in immensum paene aucta sunt, quorum studium et doctrina quantopere in interpretanda Homeri carmina et in fabulas illas Ulixis erroribus nobilitatas explicandas atque imprimis singulis locis et regionibus tribuendas incubuerit, satis notum est. Quo factum est, ut Lycophro quoque quamquam ipsis Homeri studiis non occupatus eidem rei animum adverteret et talem, qualem legimus, summa cum doctrina enucleatam et ex variis eisque remotissimis fontibus depromptam fabularum Ulixearum farraginem in luce poneret. Vel inde autem omnis nobis spes relinquenda est unamquamque fabulam suo fonti addicendi vel communem omnium auctorem eruendi. Accedit, quod miro illo ordine, quo singulae narratiunculae sese excipiunt, doceri videmur ex variis eas scriptoribus translatas et, prout animus eius vel occasio ferret, agglutinatas esse. Quamquam non desunt quaedam vestigia, quibus Homeri Odysseam, ut par est, a nostro cognitam et inspectam

esse indicatur[1]), sunt autem non minora eaque graviora indicia, quibus, quantum ab hoc exemplari recesserit quantaque poëtae licentia vagatus sit[2]), apparet. Quae singula subtiliore disquisitione persequi a re, quam nobis proposuimus, cum abhorrere mihi videatur, in eas solas fabulas accuratius inquirere conemur, quae cum aliqua verisimilitudinis specie ad Timaeum referendae sunt. Ac primum quidem vv. 688 sqq. Pithecusarum insulae noster mentionem facit, ad quam Ulixes appulsus esse creditur. Cum e Strab. V., pag. 248 (= Tim. fragm. 16) compertum habeamus a Timaeo quoque insulam eam commemoratam esse eruptionibus ignis afflicta-

---

[1]) Ad illum fontem iam schol. et Tzetz. ad Lycophr. 664, provocat, cum ad vv. 664. 665:

οἳ πάντα θρανύξαντες εὔτορνα σκάφη
σχοίνῳ κακὴν τρήσουσι κεστρέων ἄγραν

hunc versum Homericum affert (Od. X, 124.):

ἰχθῦς δ' ὣς ἀγρώσσοντες (sic!) *ἀτερπέα δαῖτα πένοντο.*

Deinde inter se conferantur versus Lycophr. 673 sqq:

ποίαν δὲ θηρόπλαστον οὐκ ἐπόψεται
δράκαιναν, ἐγκυκῶσαν ἀλφίτῳ θρόνα,
καὶ κῆρα κνωπόμορφον; οἱ δὲ δύσμοροι
στένοντες ἄτας ἐν συφοῖσι φορβάδες eqss.

cum his Homericis (Od. X, 234. 235. 238.):

ἐν δέ σφι τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν
οἴνῳ Πραμνείῳ ἐκύκα . . . .
. . . .
ῥάβδῳ πεπληγυῖα κατὰ συφεοῖσιν ἐέργνυ.

Tum comparentur Lycophr. 679 et Hom. Od. X, 302 sqq. tum Lycophr. 706 sq:

Στυγὸς κελαινῆς νασμόν, ἔνθα Τερμεὺς
ὁρκωμότους ἔτευξεν ἀφθίτοις ἕδρας

et Hom. Od. V, 185 sq:

καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος
ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν.

Tum eadem verba redeunt apud nostrum v. 738:

βύκτας δ' ἐν ἀσκῷ συγκατακλείσας βοός

atque apud Homerum Od. X, 19. 20:

δῶκέ μοι ἐκδείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο,
ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα.

Et apud Hom. Od. I, 52:

θεὰ δ' ἐν δώματα ναίει
Ἄτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος

et apud nostrum v. 744:

βαιὸν δὲ τερφθεὶς τοῖς Ἀτλαντίδος γάμοις

Calypso Atlantis filia nominatur: at cf. Hesiod. theog. 359. Apollad. I, 2. 7. Praeterea cf. Lycophr. 768 cum Hom. Od. I, 168 et Lycophr. 769 cum Hom. Od. IX, 22, XIII, 351.

[2]) Quod iure mireris, a Lycophrone omnino omittuntur eae fabulae, quibus pugna Ulixis cum Ciconibus facta eiusque adventus ad Lotophagos ab Homero describuntur. Notissimis autem illis Homericis fabulis hae

tam et motibus terrae a continenti abruptam, quacum descriptione bene quadrat, quod apud poëtam v. 690 legimus:

φλογμῷ ζέουσα δέξεται μονόστολον,

eo minus dubitari potest, quin, quod idem poëta inde a v. 691 insulam illam a Gigantibus fulmine Jovis contusis et in simias mutatis nomen accepisse disserit, eiusdem Timaei fuisse coniciamus. Nam cum cladem illam ab Hercule Gigantibus illatam in Phlegraeis campis apud Cumas sitis factam esse fragm. 10 ille contenderit, num, praesertim cum etymologicae nominum explicationi mirum quantum indulsisse eum constet (cf. supra pag. 17), occasione quasi ultro se offerente a tali derivandi ratione eum abhorruisse putas? Sed multo confidentius in describendis eis regionibus Timaei libros a Chalcidensi depilatos esse contendi posse ex iis, qui secuntur, versibus, apparebit. Pergit enim ille vv. 694 sqq:

Βαΐου δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον
καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα κἀχερουσίαν
ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν,
Ὄσσαν τε καὶ λέοντος ἀτραποὺς βοῶν
χωστάς, Ὀβριμοῦς τ' ἄλσος, οὐδαίας Κόρης,
Πυριφλεγές τε ῥεῖθρον . . . . . .
703: *λιπὼν τε Ληθαιῶνος ὑψηλὸν κλέτας*
λίμνην τ' Ἄορνον[1]) *ἀμφιτορνωτὴν βρόχῳ* eqs.

Quorum versuum paene unumquodque verbum e Timaei libris originem traxisse, si Strab. V., pag. 244, 245, Diod. IV, 22[2]) Aristot. mir. auscult. c. 102[3]) respexerimus, neminem effugiet.

---

novae annectuntur: Ulixes navem appellit ad oram Pithecusarum insulae, accuratior descriptio regionum Cumis finitimarum, quibus in depingendis haud levem ostentat poëta eruditionem, de Sirenibus a re proposita aliena digressio, variae postremo narrationes de Ulixis exitu eiusque familiae fatis divulgatae.

[1]) Cur Scheerius in edit. sua auctoritati optimi codicis adversatus ad lectionem deterioribus codd. fultam Ἄορνιν recurrerit, non assequor, quoniam cum paraphrasis altera et scholiasta hoc loco Ἄορνιν exhibent tum Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 1143 hanc lectionem agnovit dicens: *ἰστέον δέ, ὅτι Ἄορνις ὁ τόπος οὗτος λέγεται διὰ τοῦ ι. ἦν δὲ δυνατὸν καὶ διὰ τοῦ ο λέγεσθαι αὐτήν, εἴγε ὁ Λυκόφρων Ἄορνόν τινα λέγει λίμνην.*

[2]) Diodorum ipsum in enarrandis iis rebus Timaei libros introspexisse antecedente capite ipse testatur (*οἷς καὶ Τίμαιος ὁ συγγραφεὺς ἠκολούθησεν*).

[3]) Quod caput comparato Antig. Caryst. c. 152 Timaeo vindicandum esse iam dudum constat.

Strab. l. c.: *ἐμύθευον δ' οἱ πρὸ ἡμῶν ἐν τῷ Ἀόρνῳ τὰ περὶ τὴν νέκυιαν τὴν Ὁμηρικήν· καὶ δὴ καὶ νεκυομαντεῖον ἱστοροῦσιν ἐνταῦθα γενέσθαι καὶ Ὀδυσσέα εἰς τοῦτ' ἀφικέσθαι. ἔστι δ' ὁ μὲν Ἄορνος κόλπος ἀγχιβαθὴς καὶ ἀρτίστομος . . . . . περικλείεται δ' Ἄορνος ὀφρύσιν ὀρθίαις, ὑπερκειμέναις πανταχόθεν πλὴν τοῦ εἴσπλου, νῦν μὲν ἡμέρως ἐκπεπονημέναις, πρότερον δὲ συνηρεφέσιν ἀγρίᾳ ὕλῃ μεγαλοδένδρῳ καὶ ἀβάτῳ, αἳ κατὰ δεισιδαιμονίαν κατάσκιον ἐποίουν τὸν κόλπον. προσεμύθευον δ' οἱ ἐπιχώριοι καὶ τοὺς ὄρνεις τοὺς ὑπερπετεῖς γινομένους καταπίπτειν εἰς τὸ ὕδωρ, φθειρομένους ὑπὸ τῶν ἀναφερομένων ἀέρων, καθάπερ ἐν τοῖς Πλουτωνίοις. καὶ τοῦτο τὸ χωρίον Πλουτώνιόν τι ὑπελάμβανον, καὶ τοὺς Κιμμερίους ἐνταῦθα λέγεσθαι . . .*

Diod. l. c.: *περὶ τὴν Ἄορνον ὀνομαζομένην λίμνην, ἱερὰν δὲ Περσεφόνης νομιζομένην. κεῖται μὲν οὖν ἡ λίμνη μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Δικαιαρχείων, πλησίον τῶν θερμῶν ὑδάτων, ἔχει δὲ τὴν μὲν περίμετρον ὡς πέντε σταδίων, τὸ δὲ βάθος ἄπιστον · ἔχουσα γὰρ ὕδωρ καθαρώτατον φαίνεται τῇ χρόᾳ κυανοῦν διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ βάθους.*[1]) *μυθολογ-*

Aristot. l. c.: *περὶ τὴν Κύμην τὴν ἐν Ἰταλίᾳ λίμνη ἐστὶν ἡ προσαγορευομένη Ἄορνος, αὐτὴ μὲν ὡς ἔοικεν οὐκ ἔχουσά τι θαυμαστόν. περικεῖσθαι γὰρ λέγουσι περὶ αὐτὴν λόφους κύκλῳ, τὸ ὕψος οὐκ ἐλάσσους τριῶν σταδίων, καὶ αὐτὴν εἶναι τῷ σχήματι κυκλοτερῆ τὸ βάθος ἔχουσαν ἀνυπέρβλητον · ἐκεῖνο δὲ θαυμάσιον φαίνεται· ὑπερκειμένων γὰρ αὐ-*

---

[1]) Conferas schol. Lycophr. 704 quoque: *Ἄορνος λίμνη περὶ Κύμην περιφερὴς δίκην δεσμοῦ περιεσφιγμένη. ἔχει δέ, ὥς φασί τινες, αὕτη τὸ ὕδωρ κυάνεον* quae verba quin ad Timaei libros recedant, dubitari non potest.

ἔστι δὲ πηγή τις αὐτόθι ποταμίου ὕδατος ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ· τούτου δ' ἀπείχοντο πάντες, τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ νομίσαντες. καὶ τὸ μαντεῖον ἐνταῦθά που ἵδρυτο. τόν τὲ Πυριφλεγέθοντα ἐκ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἐτεκμαίροντο τῶν πλησίον καὶ τῆς Ἀχερουσίας. pag.245: *ὁ δὲ Λοκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαϊῶν, χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης ὀκτασταδίῳ τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἁμαξιτοῦ πλατείας, ὅ φασιν Ἡρακλέα διαχῶσαι, τὰς βοῦς ἐλαύνοντα τὰς Γηρυόνου*

. . . .

τὰς δὲ Βαΐας ἐπωνύμους εἶναι λέγουσι Βαΐου τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων τινός, καὶ τὸ Μισηνὸν Μισηνοῦ . . τινὲς δὲ καὶ Φλέγραν διὰ τοῦτο τὴν Κυμαίαν νομίζουσι κληθῆναι, καὶ τῶν πεπτωκότων γιγάντων τὰ κεραύνια τραύματα ἀναφέρειν τὰς τοιαύτας προχοὰς τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ὕδατος.

οὖσι δὲ τὸ μὲν παλαιὸν γεγενῆσθαι νεκυομαντεῖον πρὸς αὐτῇ, ὃ τοῖς ὕστερον χρόνοις καταλελύσθαι φασίν. ἀναπεπταμένης δὲ τῆς λίμνης εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Ἡρακλέα λέγεται τὸν μὲν ἔκρουν ἐγχῶσαι, τὴν δ' ὁδὸν τὴν νῦν οὖσαν παρὰ θάλατταν κατασκευάσαι, τὴν ἀπ' ἐκείνου καλουμένην Ἡράκλειαν.

τῇ πυκνῶν δένδρων καί τινων ἐν αὐτῇ κατακεκλιμένων οὐδέν ἐστιν ἰδεῖν φύλλον ἐπὶ τοῦ ὕδατος ἐφεστηκός, ἀλλ' οὕτω καθαρώτατόν ἐστι τὸ ὕδωρ ὥστε τοὺς θεωμένους θαυμάζειν. περὶ δὲ τὴν ἀπέχουσαν ἤπειρον αὐτῆς οὐ πολὺ θερμὸν ὕδωρ πολλαχόθεν ἐκπίπτει, καὶ ὁ τόπος ἅπας καλεῖται Πυριφλεγέθων. ὅτι δὲ οὐδὲν διίπταται ὄρνεον αὐτήν, ψεῦδος· οἱ γὰρ παραγενόμενοι λέγουσι πλῆθός τι κύκνων ἐν αὐτῇ γίνεσθαι.

Quae cum ita sint, totam Cumanarum regionum descriptionem apud Lycophronem e Timaei opere fluxisse, luce clarius apparet. Jam porro, praeterquam quod manifesto Diotimi exemplo supra (pag. 31) demonstravimus in veneratione Parthenopae Sirenis exornanda poëtam nostrum cum Timaeo congruere, totum hunc locum inde a vv. 712—737 ex eodem petitum esse, multo maiore fiducia pronuntiari potest. Nomina[1]) enim trium illarum Sirenum, quae a nostro commemorantur Parthenope, Leucosia, Ligea, quarum una Neapoli, altera in cognomine insula Leucosia, tertia Terinae divinis honoribus afficitur, non solum apud Strab. VI, 252[2]) quodammodo occurrunt, qui quantopere Timaei vestigiis institerit in illo libro conscribendo non est, quod semper moneam, sed etiam, id quod pro nihilo non est habendum, eodem ordine apud Aristot. mir. auscult. c. 103 leguntur: *Φασὶ τὰς Σειρηνούσας νήσους κεῖσθαι μὲν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ περὶ τὸν πορθμὸν ἐπ' αὐτῆς τῆς ἄκρας [ὃς κεῖται πρὸ]*[3]) *τοῦ προπεπτωκότος τόπου καὶ διαλαμβάνοντος τοῖς κόλποις τόν τε περιέχοντα τὴν Κύμην καὶ τὸν διειληφότα τὴν Ποσειδωνίαν καλουμένην· ἐν ᾧ καὶ νεὼς αὐτῶν ἵδρυται καὶ τιμῶνται καθ' ὑπερβολὴν ὑπὸ τῶν περιοίκων θυσίαις ἐπιμελῶς*[4]). *ὧν καὶ τὰ ὀνόματα μνημονεύοντες καλοῦσι τὴν μὲν Παρθενόπην, τὴν δὲ Λευκωσίαν, τὴν δὲ τρίτην Λίγειαν.* Quae verba quamvis per se minime Timaei doctrinam redoleant, tamen et quia in illa mirabilium rerum collectione, de qua supra dixi, inveniuntur et quod poëta noster, qui quam fideliter Timaei vestigia subsecutus sit, iam paene exploratum habemus, eandem fere atque Aristoteles rem prodidit et scholiasta ad hunc locum Timaei disertis verbis

---

[1]) Alii non nisi duas esse Sirenes contenderunt, quarum nomina Aglaophemam et Thelxiepeam perhibent: cf. Eustath. ad Hom. Od. XIII, 167 pag. 1709, 46.

[2]) *Ἐντεῦθεν δ' ἐκπλέοντι τὸν κόλπον νῆσος Λευκωσία, μικρὸν ἔχουσα πρὸς τὴν ἤπειρον διάπλουν, ἐπώνυμος μιᾶς τῶν Σειρήνων, ἐκπεσούσης δεῦρο μετὰ τὴν μυθευομένην ῥῖψιν αὐτῶν εἰς τὸν βυθόν.* Adeas etiam eundem Strab. V, pag. 246, quem locum supra (pag. 31. not. 1) ascripsimus.

[3]) Quae verba cum Salmasio et Heynio uncis secludi velim: cf. Beckmannum l. c. pag. 224, 446.

[4]) Quibuscum verbis bene coit Strab. V, pag. 247: *κάμψαντι δὲ τὴν ἄκραν νησῖδές εἰσιν ἔρημοι πετρώδεις, ἃς καλοῦσι Σειρῆνας· ἐκ δὲ τοῦ πρὸς Συρρεντὸν μέρους ἱερόν τι δείκνυται καὶ ἀναθήματα παλαιὰ τιμώντων τῶν πλησίον τὸν τόπον.*

mentionem facit, ex eis omnibus causis, cur huic denegemus plane nihil habemus. Si autem Lycophroneam et Aristotelicam narrationem inter se contuleris, nonne iterum perspicue intelleges, quam vividam prolixaque scientia non solum singularum fabularum et rerum, sed etiam locorum et regionum refertam imaginem Tauromenitanus ille de rebus Italicis expresserit et quantopere scriptores aetate eius inferiores ex eius auctoritate dependeant. Quamquam Sirenum fabula confecta Lycophro Homero potissimum auctore reliquos Ulixis errores usque ad mortem eius brevibus et, ut solet, obscuris verbis perstringit, ut a re proposita alienum esse possit videri in indagandis fontibus accuratius operam consumere, tamen, ne obiter rem absolvamus, uno vel duobus versibus monemur. Poëta enim Ulixem ventis agitatum in Corcyram insulam ad Phaeaces venisse disserens his utitur verbis in vv. 761, 62.:

νῆσον δ'εἰς Κρόνῳ στυγουμένην
῞Αρπην περάσας, μεζέων κρεανόμου,

quae testibus schol. et Tzetz. ad Lycophr. l. c. eo sunt referenda, quod in ea insula Juppiter inguine Saturni patris abscisso falcem condidisse narratur. Eandem autem fabulam a Timaeo quoque explicatam esse schol. Apoll. Rhod. IV, 984. (= Tim. fragm. 54.) edocemur, ubi de pristinis et variis illius insulae appellationibus verba faciens versus ad finem haec profert: *Τίμαιος δέ φησιν, ᾧ ἐξέτεμε τοῦ Οὐρανοῦ ἢ τοῦ Κρόνου τὰ αἰδοῖα ὁ Ζεύς, τοῦτο κεκρύφθαι*[1]): quibus satis elucet a Timaeo non solum Italiae et Siciliae regiones subtili descriptione pertractatas — id quod dico propter verba Polyb. XII, 23: *αὐτὸς* (Timaeus) *ὑπὲρ Ἰταλίας μόνον καὶ Σικελίας πραγματευόμενος* — sed etiam confinium terrarum litora et insulas eadem, ut videtur, diligentia illustrata esse.

Haec habui, quae de Ulixis rebus a Lycophrone ex Timaeo depromptis disputarem: sequitur, ut de Menelai erroribus et fatis vv. 820—876. expositis verba faciamus. Quae turba fabularum ad illum pertinentium cui auctori

[1]) Eadem fere verba redeunt apud schol. Lycophr. 761: *τὴν Κέρκυράν φησιν ἤτοι τὴν Φαιακίαν ἔχειν κεχωσμένον τὸ δρέπανον, [ἐν]ᾧ ὁ Ζεὺς τὸν Κρόνον ἐξέτεμεν.*

assignanda sit inquirenti idem, quod in antecedente Ulixearum fabularum serie factum esse modo vidimus, accidit, ut cetera unde fluxerint in suspenso relinquatur, eas autem fabulas, quae in Italia inferiore in omnium ore versantur, quamquam non certo quodam fragmento, verum tamen satis probabili coniectura nixi ex eodem Timaeo haustas esse concludere possimus. Quam sententiam ut argumentis defendamus, initium capere licet ab eis versibus, qui ad finem huius partis leguntur (vv. 874 sqq.):

κρόκαι δὲ Μινυῶν εὐλιπῆ στελγίσματα
τηροῦσιν ἅλμης, οὐδὲ φοιβάζει κλύδων
οὐδ' ὀμβρία σμήχουσα δηναιὸν νιφάς.

Illis enim verbis poëtam obiter eandem rem attigisse apparet, quam e Timaeo originem traxisse duobus potissimum locis pro explorato haberi potest. Strab. enim V., pag. 224 de eo miraculo sic refert: *ἔστι δὲ κατὰ τὴν Αἰθαλίαν λιμὴν Ἀργῷος ἀπὸ τῆς Ἀργοῦς, ὥς φασιν· ἐκεῖσε γὰρ πλεῦσαι τὴν τῆς Κίρκης οἴκησιν ζητοῦντα τὸν Ἰάσονα τῆς Μηδείας ἐθελούσης ἰδεῖν τὴν θεάν· καὶ δὴ καὶ τῶν ἀποστλεγγισμάτων παγέντων, ἃ ἐποίουν οἱ Ἀργοναῦται, διαμένειν ἔτι καὶ νῦν διαποικίλους τὰς ἐπὶ τῆς ἠϊόνος ψήφους.* [1]) In eandem quoque sententiam discedit Aristot.

---

[1]) Quae verba si comparaveris cum Diod. IV, 56 (= Tim: fragm. 6): *περὶ μὲν γὰρ τὴν Τυρρηνίαν καταπλεύσαντας αὐτοὺς* (Argonautas) *εἰς νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Αἰθαλειαν, τὸν ἐν αὐτῇ λιμένα κάλλιστον ὄντα τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις Ἀργῷον ἀπὸ τῆς νεὼς προσαγορεῦσαι καὶ μέχρι τῶνδε τῶν χρόνων διαμένειν αὐτοῦ τὴν προσηγορίαν*: eandem rem a Strabone et a Diodoro vario modo e Timaei libris excerptam esse perspicies, ita quidem ut hic fabulosam illam de stillis olei narrationem omitteret, ille in usum suum converteret. Neque vero ea sola, quae ascripsi, verba, sed etiam, quae paulo ante de Aethalia insula explicantur, Strabonem Timaei operi debere ostendi potest. Conferantur enim inter se:

Strab. V, pag. 223:	Serv. Verg. Aen. X, 174:	Aristot. mir. auscult. c. 93:
εἴδομεν δὲ καὶ τοὺς ἐργαζομένους τὸν σίδηρον τὸν ἐκ τῆς Αἰθαλίας κομιζόμενον· οὐ γὰρ δύναται συλλιπαίνεσθαι καμινευόμενος ἐν τῇ νήσῳ· κομίζεται δὲ εὐθὺς ἐκ τῶν μετάλλων εἰς τὴν ἤπειρον. τοῦτό τε δὴ παράδοξον ἡ νῆσος ἔχει καὶ τὸ τὰ ὀρύγματα ἀναπληροῦσθαι πάλιν τῷ χρόνῳ τὰ μεταλλευθέντα, καθάπερ	Namque Plinius Secundus dicit, cum in aliis regionibus effossis metallis terrae sint vacuae, apud Ilvam hoc esse mirum, quod sublata renascuntur et rursus de eisdem locis effodiuntur. Varro et aliud dicit nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam non	*ἐν δὲ τῇ Τυρρηνίᾳ λέγεταί τις νῆσος Αἰθάλεια ὀνομαζομένη, ἐν ᾗ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου πρότερον μὲν χαλκὸς ὠρύσσετο, ἐξ οὗ φασι πάντα κεχαλκευμένα παρ' αὐτοῖς εἶναι, ἔπειτα μηκέτι εὑρίσκεσθαι, χρόνου δὲ διελθόντος πολλοῦ φανῆναι ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου σίδηρον, ᾧ νῦν ἔτι χρῶνται Τυρρηνοὶ οἱ τὸ καλούμενον Ποπλώνιον*

mir. auscult. c. 105: *καὶ ἐν Αἰθαλείᾳ δὲ νήσῳ, τῇ κειμένῃ ἐν τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει ἄλλα τε δεικνύουσι μνημεῖα τῶν ἀριστέων καὶ τὸ ἐπὶ τῶν ψήφων δὲ λεγόμενον. παρὰ γὰρ τὸν αἰγιαλὸν ψήφους φασὶν εἶναι ποικίλας, ταύτας δ'οἱ Ἕλληνες οἱ τὴν νῆσον οἰκοῦντες λέγουσι τὴν χροιὰν λαβεῖν ἀπὸ τῶν στλεγγισμάτων ὧν ἐποιοῦντο ἀλειφόμενοι· ἀπὸ ἐκείνων γὰρ τῶν χρόνων οὔτε πρότερον ἑωρᾶσθαι μυθολογοῦσι τοιαύτας ψήφους οὔθ'ὕστερον ἐπιγενομένας.*[1]) Quibus perspectis si ad manum fuisse Lycophroni Timaei libros in enarrandis Menelai quoque erroribus procul dubio contendi potest, etiam reliquas huius partis fabulas eodem originem repetiisse nonne verisimillimum est?[2]) Atque ecce! quaerentibus nobis ansam praebet aliqua ex parte

---

τοὺς πλαταμῶνάς φασι τοὺς ἐν Ῥόδῳ καὶ τὴν ἐν Πάρῳ πέτραν τὴν μάρμαρον καὶ τοὺς ἐν Ἰνδοῖς ἅλας, οὕς φησι Κλείταρος. posse cogi nisi transvectum in Populoniam, Tusciae civitatem, ipsi insulae vicinam. *οἰκοῦντες* (cf. Muellerum — Deeckium: Die Etrusker, I, pag. 223, sqq.).

A quibus auctoribus unum eundemque fontem, Timaeum, adhibitum esse perspicuum est. Quamquam enim, si attentius inquisiverimus, res ita se habere videtur, ut Aristoteles aliquantum a ceterorum narratione recedat ex iisdem fodinis primum aes, deinde longo intervallo interposito ferrum apparuisse affirmans, tamen rem perbene componi posse credo, si ea quoque, quae ille memoriae prodidit, a Timaeo commemorata, sed refutata nimisque fabulosa abiecta esse accipiamus. Postremo novo et luculento exemplo confirmatur, quod sagacissime coniecit Wissowa in Herm. vol. XXII., pag. 41. not., longe maximam Timaei fragmentorum partem apud latinos auctores reservatorum Varronis doctrina subministrari asseverans.

[1]) Cum quo miro moto caput illud ex variis scriptoribus conflatum sit, iam supra (pag. 23.) demonstraverimus, hac occasione data satis habeo id monere, quo novam quandam lucem ad Timaei genus scribendi redundare puto. Nonne enim, si verba huius capitis inde a *ἔτι δὲ τούτων φανερώτερα* usque ad finem perspexerimus, Tauromenitanum in componenda historia poëtarum versus ad exornandam et exaggerandam narrationem adhibere ex iisque interdum, ut hoc loco, argumenta ad confirmandas sententias suas petere solitum esse cum aliqua verisimilitudine concludere licet? Cf. praeter hunc locum Diod. V, 2. 4. 5. 1 — illos enim versus Homeri et Carcini Diodori subtili diligentiae et doctrinae deberi quis est, qui credat? — fragm. 52. 60. 81. 88. 97. 111. Strab. V., pag. 212. (cf. Hunrathium l. c. pag. 31. not.). Aristot. mir. auscult. c. 109. f.

[2]) Cf. Lycophr. vv. 859. sqq:

γυναιξὶ δ'ἔσται τεθμὸς ἐγχώροις ἀεὶ
πενθεῖν τὸν εἰνάπηχυν Αἰακοῦ τρίτον
καὶ Δωρίδος, πρηστῆρα δαΐου μάχης,
καὶ μήτε χρυσῷ φαιδρὰ καλλύνειν ῥέθη
μηθ'ἁβροπήνους ἀμφιβάλλεσθει πέπλους
κάλχῃ φορυκτούς, οὕνεκεν θεᾷ θεὸς
χέρσου μέγαν στόρθυγγα δωρεῖται κτίσαι.

Aristot. mir. auscult. c. 106, cuius ex initio haec discimus: *Ἐν Τάραντι ἐναγίζειν κατά τινας χρόνους φασὶν Ἀτρείδαις καὶ Τυδείδαις καὶ Αἰακίδαις καὶ Λαερτιάδαις, καὶ Ἀγαμεμνονίδαις δὲ χωρὶς θυσίαν ἐπιτελεῖν ἐν ἄλλῃ ἡμέρᾳ ἰδίᾳ, ἐν ᾗ νόμιμον εἶναι ταῖς γυναιξὶ μὴ γεύσασθαι τῶν ἐκείνοις θυομένων · ἔστι δὲ καὶ Ἀχιλλέως νεὼς παρ' αὐτοῖς.* Etsi his verbis ad comprobandam hanc, quam proposuimus, opinionem non ita magna vis et auctoritas inest, neque multum lucramur Strab. VI, pag. 280, qui in eandem sententiam inclinare videtur: *ἐξίσχυσε δ' ἡ ὕστερον τρυφὴ διὰ τὴν εὐδαιμονίαν, ὥστε τὰς πανδήμους ἑορτὰς πλείους ἄγεσθαι κατ' ἔτος παρ' αὐτοῖς ἢ τὰς ἡμέρας,* tamen eis, quae paulo infra disseremus (pag. 57), huic sententiae adhuc nondum satis firmis argumentis stabilitae maiorem nos fidem addituros esse speramus.

Excutienda est nobis deinceps ea fabula, qua Argonautarum in Libyae oram adventus exponitur (vv. 877—908). Sed quoniam deficientibus aptis testimoniis[1]), quibus Timaeum unum in describenda ea inspectum esse extra dubitationem ponitur, satis firmum iudicium admitti non potest, huic dissertationi melius esse duxi totum illum locum in medio relinquere quam in re parum perspicienda hariolari.

Jam igitur accingamur in eam fabulam inquirere, qua res a Philocteta in inferiore Italia gestae eiusque mors a nostro vv. 911—929 depinguntur. Cuius fontem indagantibus bene nobis accidit, quod Aristot. mir. auscult. c. 107 obviam fit, cuius de eadem re sunt haec verba: *Παρὰ δὲ τοῖς Συβαρίταις λέγεται Φιλοκτήτην τιμᾶσθαι · κατοικῆσαι γὰρ αὐτὸν ἐκ Τροίας ἀνακομισθέντα τὰ καλούμενα Μάκαλλα τῆς Κροτωνιάτιδος, ἅ φασιν ἀπέχειν ἑκατὸν εἴκοσι σταδίων, καὶ ἀναθεῖναι ἱστοροῦσι τὰ τόξα τὰ Ἡράκλεια αὐτὸν εἰς τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ ἁλίου. ἐκεῖθεν δέ φασι τοὺς Κροτωνιάτας κατὰ τὴν ἐπικράτειαν ἀναθεῖναι αὐτὰ εἰς τὸ Ἀπολλώνιον τὸ παρ' αὐτοῖς. λέγεται δὲ καὶ τελευτήσαντα*

---

[1]) Verba enim Timaei fragm. 6. f., quae in comparationem vocare statim suspicari licet: *πρὸς δὲ τούτοις ὑπ' ἀνέμων αὐτοὺς* (Argonautas) *ἐκριφέντας εἰς τὰς Σύρτεις, καὶ μαθόντας παρὰ Τρίτωνος τοῦ τότε βασιλεύοντος τῆς Λιβύης τὴν ἰδιότητα τῆς θαλάττης καὶ τὸν κίνδυνον ἐκφυγόντας δωρήσασθαι χαλκοῦν τρίποδα, τὸν ἀρχαίοις μὲν κεχαραγμένον γράμμασι, μέχρι δὲ τῶν νεωτέρων χρόνων διαμείναντα παρὰ τοῖς Εὐεσπερίταις* non omni ex parte cum versibus Lycophroneis congruunt.

ἐκεῖ κεῖσθαι αὐτὸν παρὰ τὸν ποταμὸν τὸν Σύβαριν, βοηθήσαντα Ῥοδίοις τοῖς μετὰ Τληπολέμου εἰς τοὺς ἐκεῖ τόπους ἀπενεχθεῖσι καὶ μάχην συνάψασι πρὸς τοὺς ἐνοικοῦντας τῶν βαρβάρων ἐκείνην τὴν χώραν: quae verba nonne tam bene conciliantur cum his Lycophronis vv. 919 sqq.:

Κρᾶθις δὲ τύμβους ὄψεται δεδουπότος
εὐρὰξ Ἀλαίου Παταρέως ἀνακτόρων,
Ναύαιθος ἔνθα πρὸς κλύδων' ἐρεύγεται.
κτενοῦσι δ' αὐτὸν Αὔσονες Πελλήνιοι
βοηδρομοῦντα Λινδίων στρατηλάταις,

. . . .

ἐν δ' αὖ Μακάλλοις σηκὸν ἔγχωροι μέγαν
ὑπὲρ τάφων δείμαντες αἰανῇ θεὸν
λοιβαῖσι κυδανοῦσι καὶ θύσθλοις βοῶν,

ut communis utriusque auctoris origo necessario accipienda sit? Consentientibus autem Aristotele et Lycophrone num ullo modo dubium esse potest, quin de Timaeo statim cogitandum sit? Ad comprobanda ea, quae modo disputavimus, plurimum valet, quod eandem narrationem quamquam brevioribus verbis repetitam apud Justin. XX, 1, 16, reperimus, quem illo loco nonnulla ex Timaei libris suae earundem regionum descriptioni inseruisse luculentissime ostendit Enmannus l. c. pag. 154 sqq. 159. Licet verba ipsa apponere: Thurinorum urbem condidisse Philocteten ferunt, ibique adhuc monumentum eius visitur, et Herculis sagittae in Apollinis templo, quae fatum Troiae fuere. Quodsi a nobis recte disputatum est, ultro progredi iuvat et Lycophronis verbis quasi fundamento nisi textui Aristotelico vitio inquinato medelam adhibere conabimur. Quid enim in tali sententiarum conexu apud Aristot. l. c. cognomen illud Apollinis *ἀλίου* sibi velit, frustra enucleabis: sed si ad Lycophr. 920. provocaveris, procul dubio hoc loco *Ἀλαίου* restituendum esse mihi concedes, quam coniecturam a Wesselingio iam dudum in medium prolatam cum a Westermanno tum ab Apeltio in novissima editione nondum in textum receptum esse valde miror. Compares etiam verba Etym. Magn. pag. 58, 4: *Ἀλαῖος · ὁ Ἀπόλλων . Φιλοκτήτης γὰρ παραγενόμενος εἰς Ἰταλίαν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἱδρύσατο Ἀπόλλωνος Ἀλαίου ἱερόν,*

ἐν ᾧ καὶ τὸ τόξον ἀπέθετο, quae quin ex ipsius Timaei libris transscripta sint dubium esse non potest.[1])

Age nunc Epei, fabricatoris illius lignei equi, casus et fata enarranda suscipiamus (vv. 930—950), quorum maiorem partem ex eodem fonte fluxisse facile demonstrari potest. Legimus enim in eo, quod sequitur, capite mir. auscult. 108: *περὶ δὲ τὴν Ἰταλίαν τὴν καλουμένην Λαγαρίαν*[2]) *ἐγγὺς Μεταποντίου, Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἶναί φασιν Ἐλλενίας*[3]), *ἔνθα τὰ τοῦ Ἐπειοῦ λέγουσιν ἀνακεῖσθαι ὄργανα, οἷς*[4]) *τὸν δούρειον ἵππον ἐποίησεν, ἐκείνου τὴν ἐπωνυμίαν ἐπιθέντος. φανταζομένην γὰρ αὐτῷ τὴν Ἀθηνᾶν κατὰ τὸν ὕπνον ἀξιοῦν ἀναθεῖναι τὰ ὄργανα καὶ διὰ τοῦτο βραδυτέρας τυγχάνοντα τῆς ἀναγωγῆς εἱλεῖσθαι ἐν τῷ τόπῳ μὴ δυνάμενον ἐκπλεῦσαι· ὅθεν Ἐλλενίας Ἀθηνᾶς τὸ ἱερὸν προσαγορεύεσθαι.*

Quorum verborum originem quis est, qui in dubitationem vocare velit? Nam cum ipso consensu, qui inter Lycophronem

---

[1]) Eodem spectat Tzetz. ad Lycophr. 921: *καὶ πανσθεὶς τῆς ἄλης Ἀλαίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν κτίζει, οὗ καὶ τὸ τόξον αὐτοῦ ἀνέθετο.* Fortasse deinde apud Aristotelem verba versus finem *τῶν βαρβάρων,* si Lycophr. 922. *Αὔσονες Πελλήνιοι* opponimus, aut ignorantia illius mirabilium auscultationum compilatoris aut, id quod praetulerim consentientibus nonnullis codd., in quibus haec verba omnino desiderantur, vitio textui Aristotelico intrusa esse statuendum est.

[2]) Sic enim utique cum Meinekio ad Steph. Byz. pag. 405. scribendum esse existimo pro eo, quod traditum est *Γαργαρία,* cuius oppidi praesertim in regione Metaponti siti nusquam ulla fit mentio. Cf. Lycophr. 930: *Λαγαρίας ἐν ἀγκάλαις* et Strab. VI., pag. 263.

[3]) Hoc pro *Ἑλληνίας* legi necesse est, quod tandem ab Apeltio textui insertum est. Adeas velim Etym. Magn. pag. 298, 26: *Ἐλλενία, πόλις, καὶ Ἐλλενία Ἀθηνᾶ. Φιλοκτήτης* (sic!) *γὰρ παραγενόμενος εἰς Ἰταλίαν ἱδρύσατο Ἐλλενίας Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἀπὸ τοῦ ἐν ἐκείνῳ συγκεκλεῖσθαι τῷ τόπῳ. παρὰ τὸ εἱλῶ οὖν, Ἐλλενία. ἐν ὑπομνήματι Λυκόφρονος.* Ut illud discrimen, quod inter Aristotelicam et illam, quae hoc loco describitur, fabulam interponitur dissolvam, minime cum Meinekio in Anal. Alex. pag. 75. (Euphorion. fragm. 40.) fecerim illa etymologici verba Euphorioni assignanda esse statuente, quippe quem ipsum quoque cetera, quae de Philocteta in Italiam delato ferrentur, carmine quodam celebrasse verisimile sit, sed potius de errore etymologici cogitaverim, qui Philoctetae et Epei nomina confundebat, et totum hunc locum, praesertim cum commentario in Lycophronem facto originem suam debeat, collatis versibus Lycophr. 930—950. et Aristot. mir. auscult. c. 108. Timaeo addixerim.

[4]) Verba, quae tradita sunt, *ἃ εἰς τὸν δούρειον ἵππον ἐποίησε* minime esse tenenda cum unusquisque perspiciat, C. Wachsmuthius, qua est humanitate et benevolentia, me monuit, ut scriberem *οἷς τὸν δούρειον* eqs. scitissime comparans Justin. XX, 2. 1. supra plenius ascribendum, qui ad verbum sic convertit: quibus Epeos equum Troianum fabricavit.

et ignotum illum huius mirabilium rerum collectionis auctorem intercedit, ab utroque eundem Timaeum depilatum esse summa cum probabilitatis specie efficitur tum mira illa nomen Minervae Heileniae explicandi ratione etymologica ad eandem sententiam deducimur, cum, quantopere Tauromenitanus arte illa luserit, satis constet (cf. pag. 23). Sed ut has causas non nauci habeamus, accedunt graviora documenta, quibus fides derogari nullo modo potest. Justin. enim XX, 2, 1, a quo hoc loco Timaei scrinia compilata esse Enmanni libelli pag. 159 exploratum est, haec facit verba: Metapontini quoque in templo Minervae ferramenta, quibus Epeos, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricavit, ostentant. In eandem deinde sententiam discedit etiam Vell. Paterc. I, 1, quo loco quamquam mutilo sed iam pridem felici Lipsii coniectura sanato haec leguntur: Epeus tempestate distractus a duce suo Nestore Metapontum condidit: quae verba per se parum idonea ad comprobandam eam, quam proposuimus, opinionem propterea afferenda hoc loco esse censui, quod E. Rohdius in mus. Rhen. vol. XXXVI., pag. 549 not. 2. ex eodem auctore ea derivata esse summa cum veri specie in luce posuit. Agmen claudat Strab. VI., pag. 263: *μετὰ δὲ Θουρίους Λαγαρία φρούριον, Ἐπειοῦ καὶ Φωκέων κτίσμα.* [1]) Quae cum ita sint, iam nulla adesse potest dubitatio, unde poëta noster hac in fabula, quatenus ad res in magna Graecia gestas spectat, exornanda materiam suam mutuatus sit.

De iis, qui sequuntur, versibus inde a 951 usque ad 977 non ita multum est monendum, quia omnibus testimoniis aut indiciis destitutis, quo ex fonte quae de Segesta condita narrantur manaverint, certi quidquam proferre non licet. Attamen nihil facilius est coniectura, qua ne hac quidem in narratione Lycophronem a Timaei exemplari recessisse concludimus. Nam, ut ei rei non magnam auctoritatem tribuamus, quod Lycophro v. 966 Siciliam insulam his verbis circumscribit:

---

[1]) Repetuntur eadem verba apud Steph. Byz. s. v. *Λαγαρία, φρούριον Σικελίας* (sic! cf. Meinek. ad h. l. pag. 570. s. v. *Σινόεσσα*), *πλησίον Θουρίων τοῦ Ἐπειοῦ καὶ Φωκέων κτίσμα, ὡς Στράβων.*

ἄξει τρίδειρον νῆσον εἰς Ληκτηρίας

et Timaeus fragm. 1. e schol. Apoll. Rhod. IV, 965 petito in eandem sententiam inclinans refert: *Θρινακρίαν καλεῖσθαι τὴν Σικελίαν, ὅτι τρεῖς ἄκρας ἔχει,* tamen fabulam illam a Lycophrone explicatam ab auctore quodam rerum Siciliensium peritissimo atque studiosissimo prolatam esse suspicatus sim, quod Segestes non a Troiano patre, sed Crimisi, Siciliae fluminis dei, sanguine procreatus apud nostrum depingitur triumque urbium conditor concelebratur. Conferas contra, quae Dionys. Hal. I, 52 de eadem re disputat. Nihil certi deinde redundat ex Tim. fragm. 104, ubi cum alia tum haec verba exstant: *ὀργίζεσθαι δὲ* (Herculem) *τοῖς Ἀθηναίοις, ὅτι τοὺς Αἰγεστέας, ἀπογόνους ὄντας Τρώων ἔσωζον, αὐτὸς δ' ὑπὸ Λαομέδοντος ἀδικηθεὶς ἀνάστατον ἐποίησε τὴν πόλιν.*

Sed dubia et incerta relinquamus, ad promptiora transeamus. Difficilis et intricata res aggredienda est, quam nondum ad certum quendam finem perductam esse video. Sermo enim instituendus erit de sensu atque interpretatione versuum 978—992, in quibus expediendis iam Klausenius l. c. I, pag. 448 sqq. et nuper Enmannus l. c. pag. 160 sqq. desudaverunt. Cf. quoque Scheerium in programmate Ploenensi 1880. publici iuris facto, quod inscribitur: Miscellanea critica, pag. 3 sqq. Atque initium quidem capiendum esse puto ab ipsis versibus Lycophroneis, quibus qualis sententia subsit, primum statuendum erit:

Πολλοὶ δὲ Σῖριν ἀμφὶ καὶ Λευταρνίαν
ἄρουραν οἰκήσουσιν, ἔνθα δύσμορος
Κάλχας ὀλύνθων σισυφεὺς ἀνηρίθμων
κεῖται, κάρα μάστιγι γογγύλῃ τυπείς,
ῥείθροισιν ὠκὺς ἔνθα μύρεται Σίνις,
ἄρδων βαθεῖαν Χωνίας παγκληρίαν.
πόλιν δ' ὁμοίαν Ἰλίῳ δυσδαίμονες
δείμαντες ἀλγυνοῦσι Λαφρίαν κόρην
Σάλπιγγα δηώσαντες ἐν ναῷ θεᾶς
τοὺς πρόσθ' ἔδεθλον Ξουθίδας ᾠκηκότας.
γλήναις δ' ἄγαλμα ταῖς ἀνικμάντοις[1]) *μύσει,*

[1]) Hanc enim vocem aliorum scriptorum usu non comprobatam fortasse suo iure Scheerius in programmate suo Ploenensi, 1876. pag. 18.

στυγνὴν Ἀχαιῶν εἰς Ἰάονας βλάβην
λεῦσσον φόνον τ' ἔμφυλον ἀγραύλων λύκων,
ὅταν θανὼν λήταρχος ἱρείας σκύλαξ
πρῶτος κελαινῷ βωμὸν αἱμάξῃ βρότῳ.

Quam fabulam si sequimur, Troiani quidam, qui Troia capta in ostio Siris fluvii sedes petiverant urbemque Troiae cognominem condiderant (*πόλιν ὁμοίαν Ἰλίῳ δείμαντες*), cum aliquo Achaeorum oppido foedere coniuncti (*στυγνὴν Ἀχαιῶν εἰς Ἰάονας*) eos Jones, qui in ora maritima inter Tarentum et Sirim fluvium domicilia habuerunt, aggressi esse et ingenti caede facta ipsam Minervam sanguine caesorum hominum conspersam violasse dicuntur. Sed videamus primum, num recte a nobis sensus illorum versuum enucleatus sit. Atque a Troianis facinus illud nefandum commissum esse Lycophronis versibus excussis certum exploratumque videtur esse. Quo enim alio sensu haec verba vv. 985 sqq. accipienda sint, me non exputare fateor[1]). Cum autem paulo post vv. 989, 90. caedis Graecorum a Graecis illatae mentio fiat, quo tandem alio modo cum eis, quae antecedunt, consocianda esse putas, nisi Troianos illos cum Achaeis societatem inisse

---

respectis duabus paraphrasibus, quae *ἀδακρύτοις* exhibent, in textum recepit.

[1]) Minime autem ad Enmanni sententiam l. c. pag. 161. me applicaverim illis versibus solam Achaeorum cum Jonibus pugnam factam contineri statuentis et a poëta Troianorum coloniae illius in Siris fluvii regionem deductae mentionem omnino non iniectam esse proponentis. Haec enim dicit: Die Legende ist jedenfalls dem Vorgange bei der Zerstoerung Trojas und dem Raube der Kassandra nachgebildet. Deshalb ist die Erzaehlung, wie sie in den ersten Worten Lykophro's angedeutet wird, dass Troer in Italien jenen Frevel vor dem troischen Bilde veruebt haben sollen, ein Unding. Dieser Widerspruch muss demgemaess eliminirt werden. Der Dichter wollte mit den Worten:

πόλιν δ' ὁμοίαν Ἰλίῳ δυςδαίμονες
δείμαντες

die troische Gruendung andeuten, die einzigen Frevler sind die Achaeer v. 989:

στυγνὴν δ' Ἀχαιῶν εἰς Ἰάονας βλάβην
λεῦσσον.

Ei enim, qui urbem Troiae similem condiderunt (*δείμαντες*), procul dubio Troiani erant: quae enim Achaeis causa erat talem urbem condendi? Simili in errore mihi videtur versari Rosius l. c., qui post verba ex Athen. l. c. allata: *καὶ οἱ τὴν Σῖριν δὲ κατοικοῦντες, ἣν πρῶτοι κατέσχον οἱ ἀπὸ Τροίας ἐλθόντες* in uncis addidit: Achaei scil. cf. Strab. VI, pag. 264. Steph. s. *Σῖρις*. Neque vero ullo modo a me impetrare possum, ut ad verba *οἱ ἀπὸ Τροίας ἐλθόντες* nude posita statim Achaeorum notionem subaudiri posse credam.

et coniunctis viribus in Jonicam quandam urbem irruisse mecum consenties?[1]). Quibus in medium prolatis quae alibi de eadem fabula memoriae produntur, examinemus. Atque disceptantibus nobis ultro sese offert locus quidam Athen. XII, pag. 523 d. auctoritate cum Aristotelis tam Timaei sustentatus, ubi haec scripta legimus: *καὶ οἱ τὴν Σῖριν δὲ κατοικοῦντες, ἣν πρῶτοι κατέσχον οἱ ἀπὸ Τροίας ἐλθόντες, ὕστερον δ' οἱ ἀπὸ Κολοφῶνος*[2]), *ὥς φησι Τίμαιος* (fragm. 62) *καὶ Ἀριστοτέλης* (fragm. 534 Ros.), *εἰς τρυφὴν ἐξώκειλαν οὐχ ἧσσον Συβαριτῶν*: quibus apparet Aristotelis et Timaei sententia hoc oppidum Sirim prius a Troianis conditum, tum a Colophoniis occupatum esse: de caede illa et de miraculo illo ex hoc loco nihil discimus. Sed bono casui tribuendum est, quod Justin. XX, 2, 3, quem in hoc libro componendo vestigiis Timaei ingressum esse iam supra commemoravimus, de reliqua huius urbis conditione pluribus verbis certiores fimus. Haec enim l. c. tradidit: Sed principio originum Metapontini cum Sybaritanis et Crotoniensibus pellere ceteros Graecos Italia statuerunt. Cum primum urbem Sirim cepissent, in expugnatione eius quinquaginta iuvenes

[1]) Eidem sententiae astipulatur etiam schol. Lycophr. 984: *οἱ γὰρ Κροτωνιᾶται ἐπεστράτευσαν κατὰ τῆς Σίριδος, πόλεως Ἰταλίας, συλλαβόντες δὲ καὶ τοὺς περιλοίπους τῶν Τρώων ἐστράτευσαν ἐπὶ τὴν πόλιν τηνικαῦτα οἰκουμένην ὑπὸ Ἰώνων, οὕστινας οἱ Κροτωνιᾶται μετὰ τῶν Τρώων χειρωσάμενοι ἀνεῖλον ἐν τῷ ναῷ τῆς Ἀθηνᾶς φυγόντας.*

[2]) Cum verba, quae omnibus codd. traduntur: *ὕστερον δ'ὑπὸ Κολοφωνίων* nullo modo possint stare, nisi nonnulla vocabula ante *ὥς φησι Τίμαις* eqss. excidisse tibi persuadebis, Niebuhrius in: Roem. Geschichte, I. pag. 49. not. 174. assentiente Meinekio in Athenaei edit. vol. IV., pag, 240. post *ὑπὸ Κολοφωνίων* vocabulum *ἐκβληθέντες* inseri volebat non secum reputans, quam parum tolerabili coniectura id statuisset. Immo enim si verba hunc in modum apud Athenaeum scripta inveniremus: *ἣν πρῶτοι κατέσχον οἱ ἀπὸ Τροίας ἐλθόντες, ὕστερον δ'ὑπὸ Κολοφωνίων ἐκβληθέντες* de coniectura quadam nobis circumspiciendum esset, quoniam particula *δὲ* longe aliud quidquam requiri aperte indicatur. Scheerius l. c. pag. 5. not. 1., qui non hac causa adductus de Niebuhriana illa coniectura recessisse videtur, multo maiorem labem hunc locum contraxisse arbitratus Athenai textum hoc modo emendare instituit, ut *ὕστερον δ'ὑπὸ (Λυδῶν ἐκπεσόντες) Κολοφώνιοι (εἷλον)* collato Strab. VI., pag. 264. proponeret. Qua coniectura quamquam sententiae loci bene consuli non est negandum, tamen iusto violentior ea mihi videtur esse, praesertim cum comparatis epitomatoris verbis, qui simpliciter *ὕστερον δὲ Κολοφώνιοι* praebet, tale quidquam additum fuisse non indicetur. Quare laborantibus nobis rectam viam monstravit praeceptor de nobis optime meritus C. Wachsmuthius, cum hanc, quam supra recepi, coniecturam sagacissime promeret.

amplexos Minervae simulacrum sacerdotemque deae velatum ornamentis inter ipsa altaria trucidaverunt. Ut autem, qualem Timaeus de illius urbis varia fortuna sententiam animo sibi finxerit, perspicue noscatur, brevibus comprehendi licet, quae nomine eius de Siri oppido feruntur. Quae urbs a Troianis quibusdam condita cum a Colophoniis decursu temporum occupata nimis luxuriae libidinibusque sese dedisset, a Metapontinis auxilio Crotoniensium et Sybaritarum assumpto nullo negotio capta et tanta crudelitate eversa est, ut ne iis quidem, qui ad aram Minervae confugissent, parceretur[1]). Jam circumspiciamus, num qua lux ex reliquorum auctorum scriptis ad nostrum locum redundet et quantopere illi e Timaei auctoritate dependere censendi sint. Atque primum quidem occurrit Aristot. mir. auscult. c. 106, quem permulta ex eodem scriptore exscripsisse satis multis exemplis ostentum est, altera pars, quam nonnullis librariorum vitiis foedatam iam dudum a viris doctis sanatam ascribere licet: *λέγεται δὲ μετὰ τὸ παραλαβεῖν τοὺς Ταραντίνους [τὴν πόλιν μετασταθῆναι τοὺς ἐνοικοῦντας καὶ]*[2]) *Ἡράκλειαν τὸν τόπον καλεῖσθαι, ὃν νῦν κατοικοῦσιν, ἐν δὲ τοῖς ἄνω χρόνοις τῶν Ἰώνων κατεχόντων Πολίειον*[3]) · *ἔτι δὲ ἐκείνων ἔμπροσθεν ὑπὸ τῶν Τρώων τῶν κατασχόντων αὐτὴν Σῖριν*[3]) *ὠνομά-*

[1]) Vetustiore ab Antiocho Syracusano defensa sententia (cf. eius fragm. 6) pristinos huius urbis incolas Chonas, Oenotriam nationem, fuisse bene demonstravit Scheerius l. c. pag. 4. Ab eodem viro doctissimo, quomodo factum sit, ut ab aliis scriptoribus, quorum agmen Aristoteles et Timaeus ducere videntur, Troianorum nomen in locum Chonum substitutum sit, summa cum verisimilitudine explicatum est. Quam autem famam Herod. VIII, 62. secutus ab antiquissimis temporibus (*ἐκ παλαιοῦ ἔτι*) Sirim oppidum in Atheniensium potestate esse contenderit, nescitur.

[2]) Haec vel similia verba, quae Scheerius l. c. excidisse rectissime divinavit, in textum recipere non dubitavi, quibus omissis sensus huius loci plane obscuratur.

[3]) Ratio postulat, ut has duas voces iam pridem Salmasii et Holstenii coniecturis commendatas et nuper a Scheerio l. c. pag. 6. rursus in luce positas tandem textui inseramus, quod ne ab Apeltio quidem factum esse non assequor. Cf. Etym. Magn. pag. 680, 11: *Πολίειον, πόλις ἐστὶν Ἰταλίας, πρότερον Σῖρις* (sic ubique scribendum est, cf. Scheerium l. c, pag. 4. not. 4) *καλουμένη· ἀπὸ Πόλιδος ἐμπόρου, ἢ ὅτι Ἀθηνᾶς Πολιάδος ἱερὸν ἐν αὐτῇ ἐστιν.* Steph. Byz. s. v. *Πολίειον, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σῖρις καλουμένη.* Etym. Magn. pag. 714, 11: *Σῖρις, πόλις Ἰταλίας, ἣ πρότερον ἐκαλεῖτο Σῖρις, εἶτα Πολίειον . Σῖρις, δὲ ὠνόμασται ἀπὸ Σίριδος, θυγατρὸς Μόργητος τοῦ Σικελίας βασιλέως, γυναικός τε Σκίνδου.* Deinde adeas quoque Strab. VI, pag. 264., quem supra apponam.

σϑαι. Hinc igitur efficitur ab hoc auctore in enumerandis illius oppidi colonis eundem atque a Timaeo ordinem servatum esse atque eodem ordine nomina quoque, quibus diversi illi incolae urbem indiderant, tradi. Cum enim Tim. fragm. 62., quod modo attulimus, Siris oppidi nomen disertis verbis commemoretur (cf. quoque versus ad finem huius fragmenti: *ὠνομάσϑη δ' ἡ Σῖρις, ὡς μὲν Τίμαιός φησι . . . . ἀπὸ γυναικός τινος Σίριδος*) et Diod. XII, 36. 3.,[1]) quo loco Timaei narratio oculis eius sine dubio obversatur, Heracleae mentionem faciat, necessitas nobis imponitur, ut Poliei quoque nomen ex ipso Timaeo fluxisse statuamus totaque haec Aristotelis eidem auctori imputemus.[2]) Qua re perspecta iam adeundus est locus ille Strabonianus VI., pag. 264: *εἶϑ' Ἡράκλεια πόλις μικρὸν ὑπὲρ τῆς ϑαλάττης, καὶ ποταμοὶ δύο πλωτοὶ Ἄκιρις καὶ Σῖρις, ἐφ' οὗ πόλις ἦν ὁμώνυμος Τρωική· χρόνῳ δὲ τῆς Ἡρακλείας ἐντεῦϑεν οἰκιϑείσης ὑπὸ Ταραντίνων ἐπίνειον αὕτη τῶν Ἡρακλεωτῶν ὑπῆρξε· διεῖχε δ' Ἡρακλείας μὲν τέτταρας καὶ εἴκοσι σταδίους, Θουρίων δὲ περὶ τριακοσίους τριάκοντα. τῆς δὲ τῶν Τρώων κατοικίας τεκμήριον ποιοῦνται τὸ τῆς Ἀϑηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ξόανον ἱδρυμένον αὐτόϑι, ὅπερ καταμῦσαι μυϑεύουσιν ἀποσπωμένων τῶν ἱκετῶν ὑπὸ Ἰώνων τῶν ἑλόντων τὴν πόλιν· τούτους γὰρ ἐπελϑεῖν οἰκήτορας φεύγοντας τὴν Λυδῶν ἀρχήν, καὶ βίᾳ λαβεῖν τὴν πόλιν Χώνων οὖσαν, καλέσαι δὲ αὐτὴν Πολίειον. δείκνυσϑαι δὲ καὶ νῦν καταμῦον τὸ ξόανον.* Quorum verborum sententiam cum Timaei descriptione multifariam pugnare nemo non videt, ita ut fortasse cum Scheerio consentiendum sit alio ex fonte geographum hoc loco hausisse asseverante. Ut enim id non nimis premendum esse putem, quod Colophoniorum nomen cum generali Jonum notione commutavit et Troianos eosdem esse atque Chones voluit, tamen maiorem movet scrupulum miraculum illud,

---

[1]) *Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ταραντῖνοι τοὺς τὴν Σῖριν καλουμένην οἰκοῦντας μετοικίσαντες ἐκ τῆς πατρίδος καὶ ἰδίους προσϑέντες οἰκήτορας ἔκτισαν πόλιν τὴν ὀνομαζομένην Ἡράκλειαν.* Cf. Volquardsenium: Untersuchungen ueber die Quellen der griech. u. sicil. Geschichten bei Diod. XI—XVI, 1868. pag. 94.

[2]) Quae cum ita sint, etiam eis, quae supra pag. 49. de honoribus Achilli et Menelao a Tarentinis oblatis a poëta nostro vv. 659. sqq. exposita e Timaeo originem traxisse suspicatus sum, nunc multo maior fides accedit.

quod tum factum esse autumat, cum Troiani ab Jonibus ad internecionem redacti essent. Sed praeterquam quod apud eundem tres illius urbis appellationes eodem ordine atque apud Timaeum recurrunt, nonnulla sunt, quae, ut totam hanc Strabonianam fabulam e Timaeo derivemus, suadeant. Cum enim iam leviter perstrinxerimus ab Aristotele hanc novam de primordiis eius oppidi fabulam fictam et a Timaeo accuratius explicatam esse nos habere, cur sumamus, nonne paene necessarium et consuetudini huius scriptoris vel maxime accommodatum est pristinam illam sententiam ab eo commemoratam et quam plurimis verbis enarratam esse, ut, quam parum firmis causis fabula miraculi ad antiquissima illa tempora referretur, ostenderet? Et ne vana finxisse videamur, Lycophronis versus, quos tractandos tandem suscipimus documento sunt. Primum enim eandem vocem *Χωνίας* etiam eius versibus (983.) sese irrepsisse cum videas, nonne de coniectura satis firma inter Timaei quoque narrationem huius vocabuli locum fuisse enuntiari licet? An putas poëtam nostrum sponte sua, ut speciem doctrinae suae augeret, hoc loco ex diversis fontibus materiam suam collegisse velut ex Antiocho Syracusano, cuius vestigia vereor ut ulla in re toto carmine deprehendas? Deinde autem eis ipsis, qui sequuntur, Lycophronis versibus in hanc sententiam inclinare cogimur. Quod ut omnibus persuadeam, prius dicendum est, qualem sententiam de iis in medium prolaturi simus. Atque rem accuratius retractanti et saepenumero mente mecum reputanti id ad verisimilitudinem accedere mihi vel maxime visum est, quod, quoniam ab indole huius carminis longe alienum erat et Cassandrae vaticinia de misera conditione Graecorum Troia redeuntium edenti minime conveniebat in clade illa miseranda Troianorum a Graecis accepta describenda, ut communis ferebat fama, longius commorari, rem ita instituisse noster censendus est, ut omisso illo Troianae coloniae excidio ab ipsis Troianis urbem quandam a Graecis incultam funditus everti depinxerit et inverso ordine et mutatis omnibus temporum rationibus hanc monstruosam fabulam in lucem ediderit. Tantopere enim poëta noster Timaei libris sese videtur addixisse, ut fabulam ab ea re, quam

animo sibi proposuerat, vel remotissimam non simpliciter omitteret, sed miro modo intricatam et contortam indoli carminis sui aptaret. Quod eo facilius fieri potuit, si in fonte suo, apud Timaeum, eius quoque fabulae mentio iniecta erat, qua miraculum illud inter Siris expugnationem ab Jonibus factum esse narratum erat. Hac coniectura, qua Lycophronis versibus vel optime satisfieri puto, nullam non dubitationem removeri credo. Sed quid? Straboni nonne iusto incautius crimen summae socordiae et neglegentiae imponimus, quippe quem, si adhibuit Timaei libros in illo libro, eius aliorumque opiniones temere confudisse et commiscuisse necessario concludendum sit? Sed vereor, ne hoc opprobrio absolvi vix possit. Aliud enim exemplum in promptu est, quo eandem rem geographo accidisse summa oritur suspicio: quod cur hoc loco annectam, mox apparebit. Jam supra commemoravimus a Lycophrone non solum remotiores et obscuriores fabulas in deliciis habitas, sed etiam singula rarioris usus vocabula ad exaggerandam ampullarum suarum ambiguitatem summo cum studio arrepta esse. Quae cum ita sint, si quis attentius eam, quam hoc loco noster depingere coepit regionem, contemplatus erit, animum defixum haerere puto in his verbis v. 978:

Πολλοὶ δὲ Σῖριν ἀμφὶ καὶ Λευτερνίαν
ἄρουραν οἰκήσουσιν eqss.

Ad intellegendam istius rarissimae vocis *Λευτερνίας*, quae quantum scio bis apud veteres occurrit, significationem maximi sunt momenti ea, quae memoriae prodidit Strab. VI., pag. 281: *μυθεύουσι δ' ὅτι τοὺς περιλειφθέντας τῶν Γιγάντων ἐν τῇ κατὰ Καμπανίαν Φλέγρᾳ Λευτερνίους καλουμένους Ἡρακλῆς ἐξελάσειε, καταφυγόντες δὲ δεῦρο* (in Japygiam) *ὑπὸ γῆς περισταλεῖεν, ἐκ δὲ ἰχώρων τοιοῦτον ἴσχοι ῥεῦμα ἡ πηγή. διὰ τοῦτο δὲ καὶ τὴν παραλίαν ταύτην Λευτερνίαν προσαγορεύουσιν.* Cum igitur iam antea Strabonem in scribendo illo libro Timaei vestigia legentem deprehenderimus, nonne statim hoc loco, praesertim cum nusquam nisi et apud nostrum et apud geographum illud vocabulum *Λευτερνίας* inveniatur, huic Timaei libros ad manum fuisse suspicari licet? Accedit, quod Aristot. mir.

auscult. c. 97. eandem fere fabulam omissa illa Leuterniae appellatione praebet: *περὶ τὴν ἄκραν τὴν Ἰαπυγίαν φασὶν ἔκ τινος τόπου, ἐν ᾧ συνέβη γενέσθαι, ὡς μυθολογοῦσιν, Ἡρακλεῖ πρὸς Γίγαντας μάχην, ῥεῖν ἰχῶρα πολὺν καὶ τοιοῦτον ὥστε διὰ τὸ βάρος τῆς ὀσμῆς ἄπλουν εἶναι τὴν κατὰ τὸν τόπον θάλασσαν. λέγουσι δὲ πολλαχοῦ τῆς Ἰταλίας Ἡρακλέους εἶναι πολλὰ μνημόσυνα ἐν ταῖς ὁδοῖς, ἃς ἐκεῖνος ἐπορεύθη. περὶ δὲ Πανδοσίαν τῆς Ἰαπυγίας ἴχνη τοῦ θεοῦ δείκνυται, ἐφ' ἃ οὐδενὶ ἐπιβατέον.* At cum supra pag. 26. Muellenhoffii opinione refutata hoc caput e Timaei sententia profectum esse minime posse demonstrasse mihi visus sim, quippe qui pugnam illam Gigantum cum Hercule factam ad Cumarum regionem rettulisset superstitibusque eorum, ut e Lycophr. vv. 688. sqq. apparet, in simias commutatis Pithecusas insulam domicilium dedisset, efficitur, cum Lycophronis voce *Λευτερνίας* de Timaei exemplari, quod ubicunque manibus terebat, cogitare cogamur, hanc fabulam quamquam Timaei narrationi insertam tamen e sententia eius ortam esse minime posse.[1]) Quibus rebus cognitis eam coniecturam novo exemplo confirmatam invenies, qua ne a Strabone quidem ea subtilitate ingenii Timaei opus adhibitum esse contendimus, ut id solum in usum suum converteret, quod revera auctoritate eius defensum esset.[2])

Sed ne diutius a re proposita digrediamur, ad Lycophronis fabulas revertamur, et quis in eis, quibus Amazonum quarundam Cleta duce adventus in Italiam exponitur, versibus auctor agnoscendus sit (vv. 993—1007), circumspiciamus. Verumtamen tanta exsistit penuria testimoniorum in fabulosa illa narratione, ut ad unum Etym. Magn. pag. 517, 54. locum provocari cogamur, ubi legimus: *Κλείτη, μία τῶν Ἀμαζόνων,*

---

[1]) Ne autem verba illa *ἐν ᾧ συνέβη γενέσθαι, ὡς μυθολογοῦσιν, Ἡρακλεῖ πρὸς Γίγαντας μάχην* ab ipso auctore mirabilium illarum auscultationum addita esse iudicemus, imbecillitate et paene stupore animi eius vetamur.

[2]) De coniectura addiderim vel inde cum aliqua veri specie effici posse Timaei vestigia a geographo pressa esse, quod non solum in hac sed in ea quoque, quae sequitur, paragrapho Antiochi de eisdem rebus disputantis sententia quamquam non apertis verbis sed tacite refutatur, id quod a more et genere eius scribendi minime abhorrere saepius docuimus, neque omnino historici Timaei aetate inferioris fit mentio.

ἥτις ἐλθοῦσα εἰς Ἰταλίαν ᾤκησε καὶ πόλιν ἔκτισεν, ἣν ἀπ' αὐτῆς Κλείτην ὠνόμασαν, καὶ ἐβασίλευσε τοῦ τόπου · καὶ αἱ ἀπ' αὐτῆς δεχόμεναι τὴν βασιλείαν Κλεῖται ὠνομάσθησαν. Quibus e verbis de fonte, ex quo fabula illa manaverit, nihil certi elici cum possit, tamen a vero non ita magnopere me aberraturum esse spero, si eiusdem Timaei vestigia hic quoque latere contendero, a cuius latere poëta noster fere nulla in re discedere solitus est.[1])

Postquam Terinam[2]) urbem illam, quae quibus originem debeat, tribus illis versibus (1008—1010.) perspicue non intellegitur, missam fecimus, statim de Colchorum coloniis in Epirum et Illyriam deductis sermonem instituturi sumus: ceteras fabulas, quae de erroribus Nirei et Thoantis a nostro adiunguntur, a proposito alienas negligamus. Atque ne in eis quidem versibus 1017 sqq. Timaeum omnino spretum esse sola Steph. Byz. annotatione certiores fimus. Ille enim s. v. *Ἀρυγρῖνοι,* ait, *ἔθνος Ἠπειρωτικόν, ὡς Τίμαιος καὶ Θέων. καὶ Λυκόφρων· εἰς Ἀργυρίνους καὶ Κεραυνίων νάπας* (v. 1017).[3]) Multo deinde maiorem fructum capiemus ex schol. Apoll. Rhod. IV, 1216: *Τίμαιος* (fragm. 53) *δέ φησι μετὰ ἑξακόσια τῶν Τρωικῶν Χερσικράτη, ἀπόγονον τῶν Βακχιαδῶν, κατῳκηκέναι τὴν νῆσον. Κόλχοι δὲ διαβάντες εἰς τὴν πλησίον νῆσον, μετὰ ταῦτα εἰς τὰ Κεραύνια ὄρη ὁρμήσαντες εἴς τε τοὺς Ἄβαντας καὶ Νεσταίους καὶ Ὠρικὸν ἀπῳκίσθησαν. ἔστι δὲ ὁ τὴν ἀποικίαν ἀγαγὼν τῶν Βακχιαδῶν Χερσικράτης ἀποστερούμεους τῶν τιμῶν*

---

[1]) Ex eodem fonte sine dubio derivandum est, quod apud schol. Lycophr. 996. legimus: *Κλήτη, μία τῶν Ἀμαζόνων, τροφὸς δὲ Πενθεσιλείας, ἔπλευσε ζητοῦσα αὐτὴν καὶ ἦλθεν ἐς Ἰταλίαν* (vitiose apud Kinkel. *ἐν Ἰταλίᾳ*), *καὶ ἐκεῖ κτίσασα πόλιν ἐβασίλευε τῶν τόπων. ἀπὸ δὲ ταύτης πᾶσαι αἱ βασιλεύσασαι Κλῆται ἐκαλοῦντο· μετὰ γενεὰς δὲ πολλὰς ἐπιστρατεύσαντες Κροτωνιᾶται ἀνεῖλον τὴν Κλήτην τὴν ὑστέραν.*

[2]) Quae apud ceteros scriptores de primordiis eius urbis, quae a Crotoniensibus condita esse dicitur, cum hac Lycophronea narratione minime quadrant. Cf. Plin. h. n. III, 72. Steph. Byz. s. v. Scymn. 306. Hoc autem loco, quem ultimum attulimus, id unum pro certo affirmari licet Ephori, cuius ex autoritate Scymnus Chius pendere solet, libros apud nostrum adhibitos non esse. De qua re adeas Matthiessenium in Fleckeis. ann. supplement. vol. III., pag. 884.

[3]) Quae verba e Theonis in Lycophronis commentario petita esse non est, quod longiore sermone tractemus. Cf. Giesium l. c. pag. 50.

ὑπὸ Κορινθίων[1]): quocum loco arte cohaeret idem schol. Apoll. Rhod. IV, 1212, quod quin, si et rem et verba respexeris, ex eodem Timaeo originem repetierit, non dubitandum erit: *Χερσικράτης δέ, εἷς τῶν Βακχιαδῶν, ἔκτισε Κέρκυραν ἐκβαλὼν τοὺς ἐνοικοῦντας Κόλχους · ἐκβληθέντες δὲ εἰς Ἤπειρον παρεγένοντο*: ut summa cum probabilitate concludere liceat in eis, quae his Lycophronis versibus nullo certo Timaei testimonio confirmata legimus, tamen eiusdem historici narrationem ante oculos eius versatam fuisse. Imprimis autem, quae de primordiis Polarum coloniae a Colchis conditarum a poëta nostro exponuntur, ex eodem fonte hausta esse multa sunt, quae postulant. Cuius sententiae haud contemnendus testis exsistit Callimachus poëta, quem ipsum quoque in Aetiis suis componendis atque in altero quidem libro nonnulla Timaei libris debere eis, quae infra disputabo, perspicuum fore credo.[2])

---

[1]) Immerito hoc loco Timaeum a Muellero inscitiae accusatum esse puto in manifesto errore eum versari autumante, cum a Chersicrate Bacchiada circa annum sexcentesimum demum coloniam in Corcyram insulam deductam esse statuerit. Quamquam enim Censorin. de die nat. c. 21. inter primam olympiadem et initium belli Troiani spatium CCCCXVII. annorum interesse Timaei sententiam fuisse apertis verbis contendit, tamen et hoc et fragm. 66. 153. non minus perspicue intellegitur aliam quoque temporum computationem ab eo in medium prolatam esse, qua bellum Troianum intra annos 1344. et 1334. gestum esse animo sibi finxerat (cf. fragm. 66: *χιλίων δ'ἐτῶν παρελθόντων μετὰ τὸν Φωκικὸν πόλεμον*, cf. Clasenium l. c. pag. 31). Quam chronologicam, ut ita dicam, rationem si sequimur, a Bacchiada illo Corcyram insulam post annum 734. (cf. *μετὰ ἔτη ἑξακόσια τῶν Τρωικῶν*) colonis impletam esse elucet, id quod a ceterorum scriptorum testimoniis non ita valde abhorrere vides. De ea re cf. ipsum Muellerum: Hist. graec. fragm. I, LVI. 571. Curtium in: Griech. Geschichte, I. 259. Dunkerum in: Geschichte des Altertums, V. 403. Busoltium in: Griech. Geschichte, I. 85. 306. Quo modo autem duae illae inter se diversae temporum computationes coniungendae sint, ego quidem nescius sum.

[2]) Callimacho utique Timaei libros innotuisse fragmento quodem 100 f. pag. 333. Schn. e libello eius, qui *θαυμασίων καὶ παραδόξων τῶν ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συναγωγή* inscribitur, petito efficitur: cf. Tim. fragm. 63. Quae cum ita sint, quae tandem nobis est causa, cur in reliquis eius carminibus illum prorsus neglectum esse accipiamus? Primum enim, quamvis, si naturam et indolem utriusque librorum respexeris, nulla inter eos ratio intercedere videatur, nonne tamen vel inde alter ad alterum sese applicuisse iudicandus est, quod uterque illa nominum explicandorum vel derivandorum arte, quae dicitur etymologica, incredibili paene modo captus alter per totam suam historiam occasione data ingenio suo in adhibenda illa ratione indulgebat, alter in speciosissimis, illis carminibus, quae Aetiorum nomine feruntur, eandem doctrinam prae se ferebat? Hinc igitur factum videtur esse, ut a Callimacho sine dubio eadem ratione atque a Timaeo eiusdem re-

Is enim apud. Strab. I,46. de ea urbe haec verba facit: *τῆς δ'Ἰάσονος καὶ τῶν ἐπιδιωξάντων Κόλχων καὶ μέχρι τῆς Κρήτης καὶ τῆς Ἰταλίας καὶ τοῦ Ἀδρίου, ὧν ἔνια καὶ ὁ Καλλίμαχος* (fragm. 104.) *ἐπισημαίνεται, τοτὲ μὲν . . . . . τοτὲ δὲ περὶ τῶν Κόλχων*:

> *οἳ μὲν ἐπ' Ἰλλυρικοῖο πόρου σχάσσαντες ἐρετμὰ*
> *λᾶα παρὰ ξανθῆς Ἁρμονίης ὄφιος*
> *ἄστυρον ἐκτίσσαντο, τὸ μὲν Φυγάδων τις ἐνίσποι*
> *Γραικός, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμησε Πόλας.*

Deinde adeundus est schol. Lycophr. 1021: *Πόλαι δέ, πόλις Ἠπείρου, ὑπὸ Κόλχων κτισθεῖσα τῶν καταδιωξάντων τὴν Μήδειαν καὶ μὴ καταλαβόντων αὐτὴν καὶ διὰ φόβον ἐνταῦθα κατοικησάντων καὶ κτισάντων πόλιν, ἥτις τῇ Κολχίδι φωνῇ Πόλαι καλεῖται σημαίνοντος τοῦ ὀνόματος τοὺς φυγάδας, ὥς φησι Καλλίμαχος.* Quacum fabula bene congruunt, quae apud Steph. Byz. s. v. *Διζηρός* leguntur: *Διζηρός, ποταμὸς Ἰλλυρίδος· Λυκόφρων· οἳ πρὸς βαθεῖ νάσσαντο Διζηροῦ πόρῳ* (v. 1026)· *ἴσως ἀπὸ τοῦ δίζησθαι τὴν Μήδειαν ὀνομασθείς.* Congestis omnibus locis[1]), qui ad

---

conditioris appellationis Corcyrae insulae mentio facta sit, quae a *δρεπάνη* illa notissima ex utriusque sententia nomen illud Drepanae traxit (cf. Tim. fragm. 53 = Callim. frag. 554). Deinde si in schol. Lycophr. 1141. utriusque nomen citatur ad sustentandam illam narrationem a poëta vv. 1141—1173. expositam, casuine id tribuendum esse arbitraris? Qua in re vel maxime dolendum est libri Aetiorum Callimacheorum secundi fragmenta, quo potissimum fata errores coloniae Argonautarum domum redeuntium descripta esse videntur, tanta exilitate et paucitate nostram tulisse aetatem, ut ad confirmandam et comprobandam hanc opinionem nihil certi enucleari possit. Ut igitur omittamus, quae Schneider in: Callim. II, pag. 86. mera coniectura ne ulla frustula quidem fragmenti nixus a Callimacho quoque miraculum illud, quod de olei stillis illis in Aethalia insula a Timaeo enarratum erat, descriptum esse loquitur, aliaque, quae ex nimia eius coniectandi licentia originem petivisse videntur, missa faciamus, multo maiore confidentia, si Tim. fragm. 53. et Callim. fragm. 259. contulerimus, utrumque in explicandis coloniis a Colchis in Epirum deductis tantopere consensisse contendi potest, ut Callimachus Timaei descriptionem illarum rerum ante oculos habuerit necesse sit. Nam ne putes illam doctrinam ad Callimachum per solum Lycophronem redundasse, cuius carmen illi notum fuisse constat et nuperrime a Spirone l. c. pag. 194. denuo comprobatum est, collatis Call. fragm. 104. et Lycophr. vv. 1022. sqq. ex communi potius fonte utrumque hausisse multo verisimilius esse concedes, quoniam ille multa addit, quae apud hunc desiderantur. Ceterum de hoc Callimachi cum Timaei consensu audiendus est etiam Knaackius in programmate suo, 1887. pag. 10.

1) Huc eodem referenda sunt Strab. V., pag. 216. verba: *ἡ δὲ Πόλα ἵδρυται μὲν ἐν κόλπῳ λιμενοειδεῖ, νησίδια ἔχοντι εὔορμα καὶ εὔκαρπα. κτίσμα*

explicandos poëtae versus in aliquo sunt numero, quantam Timaeus operam in colligendis omnibus, quae ad Argonautarum errores et casus spectabant, fabulis consumpserit quantaque diligentia vestigia eorum usque ad remotissimas regiones perscrutatus sit, manifestum est. Sed si quis ex ipsius Lycophronis verbis singulas, quotquot a Colchis deductae sunt, colonias certis quibusdam locis assignare animum inducat, ne ille operam et oleum perdidisse videatur, vereor. Nam cum poëta Chalcidensis per totum carmen in rebus geographicis miram obscuritatem et ambiguitatem ostentat tum hoc loco vitiosa codd. lectione impedimur, quominus, quae sibi velint poëtae verba, agnoscamus. Et quamvis auctoritate Steph. Byz. s. v. *Μύλακες*, quam in textu Lycophroneo restituendo haud respuendam esse iam supra commemoravimus (pag. 12), sublevati vv. 1021. sq. hunc in modum Scheerio auxiliante emendati sint:

Κρᾶθις δὲ γείτων ἠδὲ Μυλάκων ὄρος
χώρας συνοίκους δέξεται Κόλχων Πόλαις,

tamen in explicandis singulis verbis haeremus: nam et Crathis fluvius et Mylacum gens in ea regione sita nobis omnino ignota sunt.

His annectuntur in vv. 1027—33. eae fabulae, quae de Melita insula Othrono finitima, de Ulixis promunturio in Sicilia sito, de illustri templo in honorem Hecubae ab eo constructo narrantur, sine dubio omnes ex eodem Timaeo derivatae. Quamquam nulla alia re nisi arta illa necessitudine inter Lycophronem et Timaeum intercedente adducti hoc sumere possumus: ne Diod. V, 12 quidem huius

---

δ' ἐστὶν ἀρχαῖον Κόλχων τῶν ἐπὶ τὴν Μήδειαν ἐκπεμφθέντων, διαμαρτόντων δὲ τῆς πράξεως καὶ καταγνόντων ἑαυτῶν φυγήν
τό κεν φυγάδων μὲν ἐνίσποι
Γραικός (ὡς Καλλίμαχος εἴρηκεν), ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμησε Πόλας.
Strab. I, pag. 21: *δείκνυται γάρ τινα καὶ περὶ τὰ Κεραύνια ὄρη καὶ περὶ τὸν Ἀδρίαν καὶ ἐν τῷ Ποσειδωνιάτῃ κόλπῳ καὶ ταῖς πρὸ τῆς Τυρρηνίας νήσοις τῆς τῶν Ἀργοναύτων πλάνης σημεῖα* quae iam Enmanni l. c. pag. 196. not. 2. haud improbabili coniectura e Timaeo desumpta nostrae sententiae vim et auctoritatem afferunt. Adeas quoque schol. Apoll Rhod. IV, 507. ex eodem fonte delibantem: *οἱ Κόλχοι ἀφορμηθέντες τῆς Ἀργοῦς οὐκ ἐπανῆλθον φοβούμενοι τὸν Αἰήτην, ἀλλ' οἱ μὲν αὐτῶν ᾤκησαν, ὅπου ὁ Ἄψυρτος, ἐδολοφονήθη μετὰ τῶν κληθέντων ἀπ' αὐτοῦ Ἀψυρτέων, οἱ δὲ ἐν Ἰλλυρίᾳ, ὅπου οἱ Ἐγχελεῖς, περὶ τὰ Κεραύνια ὄρη.* Praeterea cf. Plin. h. n. III, 129, 145.

vestigiis hoc loco ingrediens[1]) ullam nostris versibus affert lucem. Nec minore difficultate tenemur, si, quae de variis erroribus Elephenoris, quem Hom. Jl. IV, 463 sqq. ante Troiam occisum esse refert, et de eius domicilio in Epiro collocato vv. 1034—1046. produntur, ad certum quendam fontem referre studemus[2]). Id unum pronuntiari potest nihil obstare, quominus de Timaeo cogitemus, quippe quem easdem regiones perlustrasse modo Argonautarum fabula excussa demonstraverimus. Cf. quoque Stiehlium in Philol. vol. X, pag. 166.

In Podalirii honoribus a Dauniae incolis affecti fabula exornanda (vv. 1047—1055.) quoniam iam supra (pag. 36.) vidimus, quantum Lycophro Timaeo debuerit, hoc loco retractare supersedeo: addendum autem esse censeo, quae de funesta legationis ab Aetolis ad Daunios missae sorte vv. 1056—1066. subiunguntur, ex eodem fonte ac praecedentes versus fluxisse non modo verisimillimum, sed etiam paene necessario concludendum esse. Licet enim hoc loco Justin. XII, 2 verba apponere, e quibus magna inter eum et nostrum similitudo elucet. Habet enim ille haec: ‚Erat namque tunc temporis urbs Apulis Brundisium, quam Aetoli secuti fama rerum in Troia gestarum clarissimum ac nobilissimum ducem Diomeden condiderant: sed pulsi ab Apulis consulentes oracula responsum acceperant, locum qui repetissent, perpetuo possessuros. Hac igitur ex causa per legatos cum belli comminatione restitui sibi ab Apulis urbem postulaverant: sed ubi Apulis oraculum innotuit, interfectos legatos in urbe sepelierunt, perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita defuncti responso diu urbem possederunt.' In universum si rem spectas, ea, quae attuli, verba Justini comparari possunt cum eis, quae schol. Lycophr. 1056. procul dubio e Timaeo exscripta exhibet: *Διομήδης καταρασάμενος τὴν τῶν Δαυνίων χώραν μὴ καρποφορῆσαί ποτε,*

---

[1]) Cf. Muellenhoffium l. c. pag. 451.

[2]) Eodem pertinet locus Etym. Magn. pag. 76, 54: *οἱ περὶ Ἐλεφήνορα μετὰ Τροίας ἅλωσιν διέβησαν εἰς τὴν ἤπειρον καὶ ᾤκησαν παρὰ τὰ Κεραύνια ὄρη· ἔκτισαν δὲ Εὔβοιαν· ὅθεν Ἄβαντες ἐκλήθησαν. ἐν ὑπομνήματι Λυκόφρονος.*

εἰ μὴ παρ' Αἰτωλοῦ ἐργάζοιτο, οἱ Δαύνιοι παραγενόμενοι εἰς Αἰτωλίαν ἐκήρυξαν τοὺς βουλομένους ἐλθεῖν καὶ ἀπολαβεῖν τὸ τοῦ Διομήδους μέρος τῆς γῆς. ἐλθόντων δὲ τῶν Αἰτωλῶν εἰς τὴν τῶν Δαυνίων χώραν καὶ ἀπαιτούντων τὴν γῆν οἱ Δαύνιοι λαβόντες κατέχωσαν αὐτοὺς ζῶντας λέγοντες· ἀπειλήφατε τὸν κλῆρον τῆς γῆς ὑμῶν. Postremo bene accidit, ut eadem fabula alio loco apud Tzetz. ad Lycophr. 603. occurrat: *ὁ δέ φησιν οὗτος ὁ Λυκόφρων ἔμπροσθεν, ὅτι ἀκαρπούσης τῆς Δαυνίων γῆς διὰ τὰς ἀρὰς Διομήδους μεταπεμψάμενοι οἱ Δαύνιοι συμπολίτας τοῦ Διομήδους καὶ βαλόντες ζῶντας εἰς γῆν ἐποίησαν καρπεύειν τὴν γῆν.* Quoniam enim totam illam fabulam Diomedeam (vv. 592—632) a nostro e Timaeo sumptam esse supra comprobavimus (cf. pag. 38.), etiam in interpretationibus a scholiasta et Tzetza huic fabulae suggestis multa eiusdem scriptoris vestigia latere non erit negandum (cf. schol. et Tzetz. ad. Lycophr. 615).

Non ita multum deinde ad nostram disputationem lucramur ex ea fabula, quae de Temesae originibus Schedio et Epistropho Graecorum ducibus debitis a nostro vv. 1067—74. celebratur. Ne Strab. VI., pag. 255. quidem, qui hoc loco Antiochi Syracusani narrationem compilavit, in certamen vocandus est, cum aliquantum a nostro recedat: *ἀπὸ γὰρ Λάου πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέση, Τέμψαν δ' οἱ νῦν καλοῦσιν, Αὐσόνων κτίσμα, ὕστερον δὲ καὶ Αἰτωλῶν τῶν μετὰ Θόαντος* eqss. Sed vel ea ipsa causa Timaeo hanc fabulam addicendam esse suspicio movetur, quae his, quae nunc tractabimus, ad versimilitudinem perducitur. Sequitur enim notissima illa navium a Troianis feminis captivis combustarum fabula (vv. 1075—1082). Qua si quis diligentius imbui studeat, adeat velim praeter Heynii ad Verg. Aen. V. exc. VI. Hauboldii dissertationem l. c. pag. 31. not. 1: nobis, unde origo eius petenda sit, maxime cordi erit. Iam inter veteres auctores magna discordia exorta, cuinam regioni fabula illa assignanda esset, duae potissimum opiniones ceteris praestabant, quarum altera auctoritate Aristotelis et Theopompi apud Dionys. Hal. I, 72. sustentata apud Romam, altera, quam primum a Lycophrone vel ab auctore eius prolatam esse ego quidem video, in inferiore Italia naves a Troianis illis feminis accensas esse defendebat. Si enim

subtilius in Lycophronis verba satis, quod ad res geographicas attinet, caliginosa incubueris, in ora maritima non procul a Crathi flumine (cf. 1079: *Κράθιδος πέλας*) Setaeae illius sepulcrum exstare intelleges.[1]) Ad eandem regionem spectant verba Straboniana quoque in libro VI., pag. 262, quibus quoniam sensus nostrae fabulae explanatur repetere licet: *Πρώτη δ'ἐστὶ Κρότων ἐν ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα σταδίοις ἀπὸ τοῦ Λακινίου καὶ ποταμὸς Αἴσαρος καὶ λιμὴν καὶ ἄλλος ποταμὸς Νέαιθος, ὧν τὴν ἐπωνυμίαν γενέθαι φασὶν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος. καταχθέντας γάρ τινας τῶν ἀπὸ τοῦ Ἰλιακοῦ στόλου πλανηθέντων Ἀχαιῶν ἐκβῆναι λέγουσιν ἐπὶ τὴν κατάσκεψιν τῶν χωρίων, τὰς δὲ συμπλεούσας αὐτοῖς Τρωάδας καταμαθούσας ἔρημα ἀνδρῶν τὰ πλοῖα ἐμπρῆσαι, βαρυνομένας τὸν πλοῦν ὥστ' ἀναγκασθῆναι μένειν ἐκείνους, ἅμα καὶ τὴν γῆν σπουδαίαν ὁρῶντας . . . . . καὶ ποταμὸς δὲ ὁ Νέαιθος ἀπὸ τοῦ πάθους τὴν προσωνυμίαν ἔσχεν.* Omnis autem dubitatio de fonte illius Lycophroneae fabulae tollitur schol. Lycophr. 921. sine dubio ut reliqua Philoctetae fati et mortis descriptio (cf. pag. 49.) e Timaeo deprompto: *Ναύαιθος, ποταμὸς Κρότωνος · ὠνομάσθη δὲ οὕτως, διότι μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ἦλθόν τινες τῶν Ἑλλήνων ἐκεῖσε, αἱ δὲ αἰχμαλώτιδες αἱ Τρωάδες εὐλαβούμεναι τὴν δουλείαν τὴν ἐν Ἑλλάδι κατέκαυσαν τὰς ναῦς τῶν δεσποτῶν · ὅθεν ὁ ποταμὸς ὠνομάσθη Ναύαιθος, αἱ δὲ γυναῖκες Ναυπρήστιδες*: quem locum pluribus verbis exornat Etym. Magn. pag. 598, 38.[2])

Nolo deinde tempus terere in eruendis illis minutioribus et obscurissimis rebus, quae vv. 1083—1086. occurrunt: in tanta enim nominum ambiguitate poëta noster versatur, ut sensus illorum versuum plane evanescat.[3]) Ut autem a sana

---

[1]) De Setaea comparandum est Etym. Magn. pag. 711, 39: *Σηταῖον· χωρίον ἐστίν. ὠνόμασται δὲ ἀπὸ τῆς Σηταίας τῆς αἰχμαλώτιδος Τρωάδος, ἥτις ἔπεισε τὰς λοιπὰς συμφλέξαι τὰς ναῦς τῶν Ἑλλήνων · διόπερ γνόντες οἱ Ἕλληνες ἀνεσκολόπισαν αὐτήν.* Eadem fere praebet Steph. Byz. s. v. *Σηταῖον, χώρα παρὰ Σύβαριν, ἔνθα Σήταιαν, μίαν τῶν αἰχμαλώτων πείσασαν τὰς ἄλλας τῶν Ἑλλήνων ἐμπρῆσαι τὰς ναῦς αὐτοὶ ἐσταύρωσαν.*

[2]) Singulari et proprio fonte utitur Aristot. mir. auscult. c. 109. Dauniorum in regione illam fabulam circumferri commemorans. Ceteroqui cum hoc in capite nonnulla reperiantur, quae cum Timaei narratione aperte pugnent, alius atque ille nobisque ignotus auctor excerptus esse videtur. Num autem cum Muellenhoffio l. c. pag. 435. statim de Lyco Rhegino cogitandum sit, in dubio est relinquendum.

[3]) Cf. *ἀμφὶ Μέμβλητος ῥοὰς* et *νῆσόν τε Κερνεᾶτιν ἐκπεπλωκότες*, quorum verborum in explicationem iam veteres frustra operam impen-

ratione non abhorret eam quoque doctrinam fonte eius, quem semper exhaurire solebat, Chalcidensi suppeditatam esse, ita in eis, quae sequuntur, fabulis describendis Agamemnonis et Idomenei, quibuscum agmen Graecorum misera fortuna vexatorum clauditur, longe alium auctorem oculis eius obversatum esse apparet. Quantum autem in sequentibus fabulis, quibus Troianorum laudes efferuntur, in Cassandrae imprimis apud Daunios veneratione et in missione illarum Locrensium virginum enarrandis e Timaei rursus auctoritate noster dependeat, iam supra validissimis exemplis in luce posuimus, ut hoc loco ea retractare opus non sit. Unde autem, quae de Hecuba et de Hectore feruntur, manaverint, in suspenso relinquendum est et, quamquam cenotaphii Hecubae ab Ulixe somniis exterrito aedificati commemorationem (cf. v. 1181 sqq.) ex Timaeo fluxisse non habemus, cur infitiemur, tamen silentio eam rem praetermittere praetulimus, quam mera e coniectura certa incertis substituere et statim ad eam fabulam longiore disputatione dignam transire nobis proposuimus, quae de Aeneae in Italiam adventu vv. 1226—1280. a poëta tractatur.

Etsi perpauca Timaei fragmenta ad nostram aetatem pervenerunt, quibus Romanarum rerum fit mentio, tamen primum quidem de temporibus, quibus Roma ipsa sententia eius condita sit, Dionys. Hal. I, 74.[1]) accuratius imbuimur, tum ex eodem auctore I, 67. compertum habemus, qualem ille sibi formam et figuram penatium deorum animo finxerit: *σχήματος δὲ καὶ μορφῆς αὐτῶν πέρι Τίμαιος μὲν ὁ συγγραφεὺς ὧδε ἀποφαίνεται· κηρύκια σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ καὶ κέραμον Τρωικὸν εἶναι τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις τοῖς ἐν Λαουϊνίῳ κείμενα ἱερά. πυθέσθαι δὲ αὐτὸς ταῦτα παρὰ τῶν ἐπιχωρίων*: e quibus Timaeum Troianos penates Troia (cf. *κέραμον Τρωικόν*) nescio a quo, sine

---

disse ex Eustath. ad Dionys. Perieg. 218. comperimus haec verba faciente: *Ὁ δὲ Λυκόφρων καὶ δυτικήν τινα Κέρνην παραδηλοῖ, ὑπὲρ Τυρσηνίαν, ἔνθα Κερνεᾶτιν ἱστορεῖ νῆσον δοκοῦσαν ἀπὸ Κέρνης παρονομάζεσθαι.*

[1]) Tim. fragm. 21: *περὶ μὲν οὖν τῶν παλαιῶν κτίσεων ἱκανὰ ἡγοῦμαι τὰ προειρημένα· τὸν δὲ τελευταῖον γενόμενον τῆς Ῥώμης οἰκισμόν, ἢ κτίσιν, ἢ ὅτι δήποτε χρὴ καλεῖν, Τίμαιος μὲν ὁ Σικελιώτης, οὐκ οἶδ' ὅτῳ κανόνι χρησάμενος ἅμα Καρχηδόνι κτιζομένῃ γενέσθαι φησὶν ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ πρότερον ἔτει τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος.*

dubio autem, si Lycophronis versuum, quos mox commemorabimus, rationem habueris, ab Aenea Lavinium asportatos esse censuisse elucet. Eandem autem rem noster attingere videtur, cum haec expromit vv. 1261 sq.:

δείμας δὲ σηκὸν Μυνδίᾳ Παλληνίδι
πατρῷ' ἀγάλματ' ἐγκατοικιεῖ θεῶν.

Quod templum Lavinii ab Aenea exstructum esse, quamvis a poëta pro ea, qua semper utitur, obscuritate in definiendis locorum appellationibus disertis verbis non indicetur,[1]) tamen pro explorato haberi necesse est, quia prodigia illa de comesis a comitibus Aeneae mensis (vv. 1250. 51.) et de sue triginta porcos partu edente (vv. 1255. 56.) semper ab omnibus auctoribus condendo Lavinio addicuntur et monumentum illius suis aeneum in eodem oppido exactum Varronis aetate monstrabatur (cf. Varr. r. r. II, 4. 18). In universum conferas de eis rebus Schweglerum: Roem. Geschichte, I., pag. 317 sqq. et Wissowam in Herm. vol. XXII., pag. 41. Deinde si versum Lycophronis 1274:

Ἀργοῦς τε κλεινὸν ὅρμον Αἰήτην μέγαν eqss.

perlegeris, statim Tim. fragm. 6. a Diod. IV, 56. servatum in memoriam tibi revocabis, cuius, quae huc spectant, verba haec sunt: *περὶ μὲν γὰρ τὴν Τυρρηνίαν καταπλεύσαντας* (Argonautas) *αὐτοὺς εἰς νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Αἰθάλειαν τὸν ἐν αὐτῇ λιμένα, κάλλιστον ὄντα τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις, Ἀργῷον ἀπὸ νεὼς προσαγορεῦσαι, καὶ μέχρι τῶνδε τῶν χρόνων διαμένειν αὐτοῦ τὴν προσηγορίαν. παραπλησίως δὲ τοῖς εἰρημένοις κατὰ μὲν τὴν Τυῤῥηνίαν ἀπὸ σταδίων ὀκτακοσίων τῆς Ῥώμης ὀνομάσαι λιμένα Τελαμῶνα, κατὰ δὲ Φορμίας τῆς Ἰταλίας Αἰήτην τὸν νῦν Καιήτην προσαγορευόμενον.* Tertio autem loco, quem ad

---

[1]) Qualis enim ex his versibus 1253. sq:

κτίσει δὲ χώραν ἐν τόποις Βορειγόνων
ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' ᾠκισμένην

sic ab omnibus codd. traditis locus intellegendus sit, vix eruere possis. Nec multum proficimus ea, quam Steph. Byz. s. v. *Δαύνιον* profert, utique praeferenda lectione:

ὑπὲρ Λακίου Δαυνίου τ' ᾠκισμένην.

Nescio autem, num Scheerii coniectura retinenda sit in mus. Rhen. vol. XXXIV., pag. 472. not. 4. scribentis:

ὑπὲρ Λαβίκου Δαυνίου τ' ᾠκισμένην

et sub *Δαυνίου* appellatione nomen Ardeae oppidi intellegendum esse conicientis.

conferendam Lycophronis et Timaei narrationem afferemus, aliter sese res videtur habere. Nam e Tim. fragm. 19. haec discimus: ‚Exstant auctores multi, qui super ista re commentarios ediderunt. Ab his ludorum origo sic traditur. Lydos ex Asia transvenas in Hetruria consedisse, ut Timaeus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione.' Et quo melius, quae vera hac in re Timaei fuerit sententia, pernoscatur, evolvas Vell. Paterc. I, 1., quem eiusdem auctoris e libris hausisse E. Rohdius l. c. demonstravit: ‚Per haec tempora Lydus et Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit: pervectus in Italiam et loco et incolis et mari nobile ac perpetuum a se nomen dedit.[1]) Quae si inter se comparaveris, vel maximum discrimen inter Lycophronem et Timaeum hoc loco intercedere fatendum erit. Duae enim et inter se diversae fabulae agnoscendae sunt, quarum altera Lycophronis versibus depicta et Tarchonem et Tyrrhenum, Telephi, Mysorum regis, filios in Etruriam pervenisse perhibet, altera Timaei disertissimo quodam fragmento defensa soli Tyrrheno, Atyis, ut videtur, Lydorum regis, filio illas partes tribuit. Neque tamen difficile est explicatu utramque fabulam utique in Timaei libris locum habuisse. Summo enim iure mireris, si apud Strab. l. c. scriptum legimus Atyem illum ceteroquin ignotum Lydorum regem[2]) progeniem Herculis et Omphales fuisse (cf. *εἷς τῶν ἀπογόνων Ἡρακλέους καὶ Ὀμφάλης*), quem Herod. I, 94. teste Manis po-

[1]) Ad hanc narrationem aspirat Strab. V., pag. 219., quem vel ea ex causa Tauromenitani vestigia secutum esse non erit negandum: *οἱ Τυῤῥηνοὶ τοίνυν παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις Ἐτροῦσκοι καὶ Τοῦσκοι προσαγορεύονται· οἱ δὲ Ἕλληνες οὕτως ὠνόμασαν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνοῦ τοῦ Ἄτυος, ὥς φασι, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἐποίκους δεῦρο· ἐπὶ γὰρ λιμοῦ καὶ ἀφορίας ὁ Ἄτυς, εἷς τῶν ἀπογόνων Ἡρακλέους καὶ Ὀμφάλης, δυεῖν παίδων ὄντων, κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τῷ δὲ Τυῤῥηνῷ τὸν πλείω συστήσας λαόν ἐξέστειλεν · ἐλθὼν δὲ τήν τε χώραν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ Τυῤῥηνίαν ἐκάλεσε, καὶ δώδεκα πόλεις ἔκτισεν, οἰκιστὴν ἐπιστήσας Τάρκωνα, ἀφ᾽ οὗ Ταρκυνία ἡ πόλις, ὃν διὰ τὴν ἐκ παίδων σύνεσιν πολιὸν γεγεννῆσθαι, μυθεύουσιν*: quae verba more suo exscripsit Eustath. ad Dionys. Perieg. 347. De re ipsa inspicias Baehrium ad Herod. I. excurs. III, pag. 838. et Muellerum-Deeckium: Die Etrusker, I, pag. 75. 82. sqq.

[2]) De quo plura dat Baehrius ad Herod. I, 7. 94.

tius filius habetur. Ergone errasse geographum sumamus? Audio: sed num eidem errori imputandum esse credis, quod poëtam nostrum Tarchon et Tyrrhenus hunc in modum v. 1249. describuntur:

τῶν Ἡρακλείων ἐκγεγῶτες αἱμάτων?

Immo omnis difficultas e medio tollitur, si Strabonem l. c. rursus duas diversissimas res commiscuisse statuimus Phrygiam, ut breviter dicam, fabulam cum Lydia illa confundentem[1]). Quae conturbatio quomodo sit explicanda, quaerenti facile persuadabis, si permulta illa exempla ante oculos eius posueris, quibus variorum auctorum opiniones a Timaeo in opus suum receptas et diiudicatas esse apparet. Quibus causis autem adductus Lycophro, studiosissimus ille Timaei narrationis sectator, hac una in re, ut videtur, ab eius exemplari recesserit, praesertim cum paulo post vv. 1351 sqq. eandem fabulam prorsus e Timaei sententia ortam carmini inseruerit, a nobis quidem erui nequit[2]): satis habeamus

[1]) Temere idem sive manifesto errore motus sive quia fontem suum obiter excussit, huic fabulae nomen Omphales intrusit: a ceteris enim auctoribus Telephus ille una voce Herculis et Auges filius dicitur. Cf. schol. Lycophr. 1249: ἐξ Ἡρακλέους καὶ Αὔγης Τήλεφος, Τηλέφου δὲ Τάρχων καὶ Τυρσηνός. Paus. VIII, 47. 4; 48. 7.

[2]) Hoc loco Caueri in mus. Rhen. vol. XLI, pag. 395. sententiam reiciendam esse duco res a Lycophrone vv. 1226—80. in medio positas e Timaeo propterea haustas esse non posse affirmantis, quia indoles earum, quas de Ulixe noster vv. 648 sqq. enarrat, fabularum utique ex eo depromptarum ab his vel remotissima esset. Monet enim illo loco eas fabulas, quae de Troianorum et praecipue Aeneae fatis ubique tota paene Italia circumferebantur, in fonte quoque nostri poëtae silentio praetermissas fuisse, his autem versibus Aeneam quasi in medio collocatum summis laudibus efferri: quae cum ita sint, fieri non posse demonstrat, quin eae, quas hoc loco legimus, fabulae alio ex fonte derivatae sint atque superiores, a Timaeo autem utique abiudicandae sint. Qua in re hoc unum oblitus esse vir ille doctus videtur, quod ipse l. c. pag. 394. obiter attingit, neque quanti esset aestimandum penitus intellexit. Toto enim carmine, ut iam commemoravimus, fata Graecorum diruta Troia domum revertentium describuntur non ad laudem et gloriam eorum celebrandam et augendam, sed eo consilio, ut quam aequas illi poenas propter varia ante Troiam commissa scelera aliaque nefanda facinora solverint, luculentis exemplis demonstretur. A quo consilio si interdum poëtam recedere videmus (cf. eum in narranda fabula Diomedea, ubi Diomedes variis erroribus et laboribus exantlatis divina veneratio v. 630. commemoratur, Amazonum deinde, quas cum Troianis foedus icisse ab eorumque partibus stetisse constat, urbis Cletae expugnationem a Crotoniensibus factam vv. 992—1007. enarrat, miserabilem Troianae illius feminae Setaeae exitum vv. 1075 sqq. refert), illud non facturum fuisse eum iudicabimus, nisi auctoritate eius auctoris adductus esset, quem fere omni-

necesse est duas illas et varias fabulas agnovisse et in medium protulisse. Quibus rebus cognitis non modo nihil obstare videtur, quominus illam quoque totam fabularum ad Aeneam pertinentium congeriem eidem rursus Timaeo assignemus, sed etiam esse quaedam, quibus sententia illa commendetur.

Sed haec hactenus: finis enim imponendus est huic dissertationi, quia nulla iam vestigia evadunt in hoc carmine, quibus Timaeum adhibitum esse indicetur. Si autem ea, quae proposui, recte disputata erunt, nonnullis rebus novam me lucem attulisse spero. Primum enim apparet, quam bene rerum scriptor ille Tauromenitanus de historia Italiae eique confinium terrarum scribenda meritus sit, quanta scientia atque diligentia singulos variorum populorum mores, primordia urbium, sacra in honorem deorum et heroum exstructa per totas illas regiones collegerit atque perscrutatus sit, quantopere scriptores aetate eius inferiores sive historici sive geographi, sive pedestris sermonis sive poëtae in adhibendo et excerpendo eo operam collocaverint, quorum vestigiis congestis vividissimam ab eo imaginem rerum Italicarum a primordiis petitarum expressam esse elucet. Deinde autem non minorem fructum redundasse puto ad intellegendam eam rationem, quam Lycophro, obscurissimus ille et in fabulis aggerendis et in verbis elegendis poëta, in sequendo illo auctore instituerit, ita ut in hac eius carminis parte, de qua nos egimus, paene omnia e tenebris in lucem procedant. Qua ratione uni eidemque fonti se addicendi num noster in

bus in rebus sequi sibi proposuerat. Quo igitur modo fieri potuit, ut in misera illa Graecorum conditione explicanda earum fabularum ullus locus esset, quae de Troianis eorumque occupationibus fictae erant? Hac autem nostri carminis parte, qua honores Cassandrae, Hecubae, Hectori, Aeneae Troianis olim offerendi narrantur, nonne perspicuum est omnia a nostro adhibita et ex fonte suo arrepta esse, quae ad nomina eorum laudanda et concelebranda in aliquo erant numero? Atque re vera tantumne intercedit discrimen, si his versibus 1245 sqq. occupationem Etruriae a Mysis vel a Lydis post Troiam eversam, vv. 1351. sqq. autem ante eius expugnationem factam esse legimus, ut necessario de duobus diversis fontibus cogitandum sit? Nonne id poëtae ingenio et licentiae tribuendum erit, ut res suo arbitrio, praesertim cum varias huius fabulae narrationes ab uno eodemque fonte ei suppeditatas esse summa accedat verisimilitudo, nullis temporum rationibus respectis indoli carminis ab eo accommodatas esse accipiamus?

reliquis fabulis depingendis usus sit, in medio relinquendum erit, dum aliorum acumine diiudicetur. Postremo cum comparatione inter hunc poëtam et auctorem illum *θαυμασίων ἀκουσμάτων* instituta capp. 79, 88, 93, 95[1]), 97, 98, 102, 103, 105—108 ad eundem Timaeum referenda esse summa cum verisimilitudinis specie concluserimus, nunc, praesertim cum ea, quae cum aliorum tum Muellenhoffii egregia doctrina eidem scriptori imputata sunt, addideris atque naturam et indolem totius huius collectionis denuo in memoriam tuam revocaturus sis, iam, quin toto haec pars inde a capp. 79—114, 130—136 e Timaei libris originem traxerit, neminem esse puto, qui dubitet.

---

[1]) Cur illud quoque caput Timaeo tribuerim, cum alia tum haec me causa movet, quod nonnisi et hoc loco et apud nostrum v. 1464. reconditiore illa Sibyllae appellatione offendimur, quae utroque loco *Μελάγκραιρα* nuncupatur: quam vocem rarissimam ex communi fonte, e Timaeo, ductam esse, vel eo ipso apparet.

Errata.

Pag.	5	not.	2	pro	carmem	leg.	carmen.
„	14	„	1	„	pag. 22	„	pag. 20.
„	21	lin.	14	„	pag. 27	„	pag. 31.
„	33	„	13			„	*Καλλίμαχος*.
„	42	„	11	„	pag. 17	„	pag. 21.
„	44	„	8	„	*τὲ*	„	*τε*.
„	45	„	4	„	pag. 31	„	pag. 35.

Vita.

Natus sum Ernestus Paulus Guenther Nossenii Saxonum a Johanne patre et matre Ida de gente Zanthieriana a. d. III. Non. Aug. anni h. s. LXV. Fidei addictus sum evangelicae. Cum puero paene mihi pater carissimus praematura morte ereptus esset, mater Grimam in urbem transmigravit, ubi primis litterarum elementis imbutus anno h. s. LXXV in progymnasium huius urbis receptus et anno LXXVIII discipulis scholae regiae Grimensis, quae tum E. Muellero rectore florebat, annumeratus sum. Post sex annos testimonium maturitatis adeptus Lipsiam me contuli, ut in numerum civium academicorum reciperer et rebus militaribus confectis anni intervallo interposito philologicis studiis operam darem. Atque docuerunt me collegiis magnaque ex parte adhuc docent hi viri illustrissimi: Curtius, Drobischius, Gardthausenius, Hanssenius, Heinzius, Hildebrandtius, Lipsius, Maurenbrecher, Ribbeckius, Richter, Rohdius, Voigtius, Wachsmuthius, Wenckius, Wundtius, Ed. et Fr. Zarnckius. Praeterea proseminarii regii sodalis fui moderantibus Hirzelio, Lipsio, Rohdio, Wachsmuthio, deinde per terna semestria societatum philologicarum exercitationes a Ribbeckio et Wachsmuthio gubernatas, tum per ter sex menses socius regii seminarii historici rectoribus Arndtio, Gardthausenio, Maurenbrecherio et hoc per semestre Richteri seminarii paedagogici fui.

Magistris meis cum omnibus tum C. Wachsmuthio, quem de me summo opere meritum esse semper ero memor, gratias ago quam maximas semperque eos pio animo recolam.